

Forfatter: Kierkegaard, Søren

Titel: Journalen CC

Citation: Kierkegaard, Søren: "Journalen CC", i Kierkegaard, Søren: *Søren Kierkegaards Skrifter, Bd. 17*, udg. af Niels Jørgen Cappelørn; Joakim Garff; Jette Knudsen; Johnny Kondrup; Alastair McKinnon, Søren Kierkegaard Forskningscenteret 2000, s. 6r. Onlineudgave fra Søren Kierkegaards Skrifter: <https://tekster.kb.dk/text/sks-cc-txt-shoot-idf032e65f-745b-4097-b94a-d798492bf730.pdf> (tilgået 26. april 2024)

Anvendt udgave: Søren Kierkegaards Skrifter, Bd. 17

Ophavsret: Materialet er dedikeret til public domain. [Læs CC0-erklæringen](#)

## CC:1

Prima verba fecimus, o Theophile, de omnibus, quæ Jesus facere atque docere incepit, in eum diem usque quo institutis, quo[s] elegerat, per spiritum sanctum apostolis in coelum receptus est. Quibus etiam, postquam passus est, viventem sese præbuit, in multis signis, per dies quadraginta conspiciendum, dum exposuit, quæ pertinent ad regnum Dei. Et cum illis conveniens præcepit, ne Hierosolymâ decederent, exspectarent vero promissum a patre, quod<sup>[b]</sup> a me audivistis; quod scilicet Johannes baptizavit aquâ, vos vero baptizati eritis in spiritu sancto, non multis post diebus. Illi igitur convenientes quæsiverunt: jamne Domine restitues regnum Israeli. Ille vero: non vestrum est, inquit, cognoscere temporis rationem, quam constituit in potestate propria. Sed accipietis vim spiritus sancti super vos venientis et eritis ma[r]tires mihi Hierosolymæ et in tota Joudæa et Samaria atque usque ad ultimam terram. His dictis, cum illi viderent, sublatus est, et nubes subduxit illum ab oculis ipsorum. Atque cum intentis oculis coelum aspicerent, cum ille abiit, ecce viri duo adstiterunt illis in vestimento albo, qui etiam dixerunt: Viri Gallilæi cur adspicitis coelum; ille Jesus qui sublatus est in coelum, eodem modo veniet, quo vidistis illum in coelum abeuntem. –

Tum illi Hierosolymam redierunt ex monte, cui est ex olivis nomen, qui est prope Hierosolymæ,

Atque cum venissent, conscenderunt conclave, ubi commorati sunt: Petrus atque Jacobus, Johannes atque Andreas, Phillipus atque Thomas, Bartholomeus atque Matheus, Jacobus Alphæi atque Simon selota, atque Judas Jacobi filius. Illi omnes erant assidui una<sup>c</sup> precibus (atque cum mulieribus atque Maria, matre Jesu, atque cum fratri[bu]s ejus. Atque hisce diebus resurrexit Petrus inter medios discipulos (erat autem numerus nominum una ad centum et viginti) hisce verbis: Viri fratres oportet impleri scriptum illud, quod prædixit spiritus sanctus per os Davidis de Jouda, qui factus est dux illorum, qui comprehenderunt Jesum, quod erat numero nostro adscriptus atque accepit munus hujus ministerii. (Ille igitur comparavit agrum pro mercede injustitiæ et præceps factus medius disruptus est,<sup>[d]</sup> atque diffusa sunt omnia viscera ejus, atque cognitum est ab omnibus illis, qui inhabitant Hierosolymam ita ut vocarent locum illo proprio dialecto Αχελδαμα h: e: locus sanguinis) scriptum enim est in libro psalmorum: factum est domicilium ejus desertum, ne sit, qui habitet in illo« atque »munus ejus accipiat alter.« Oportet igitur eorum, qui nobiscum convenerunt per omne id tempus, quo introiit atque exiit apud nos dominus Jesus, incipiens a baptismo Johannis usque ad diem, quo susceptus est a nobis, eorum unum ma[r]tyrem fieri resurrectionis ejus nobiscum. Atque sisterunt duo Josephum, cognomine Barsaba, cui nomen inditum est »Justus« atque Mathiam. Atque orantes dixerunt, Tu, domine qui omnium corda cognoscis, ostende, utrum elegam,

[a] Acta apostolorum.

[b] græce : ἦν ηχοουσατε μου. Anakolouton orationis ???

c uno animo, unanimi consensu.

[d] λασκαζωσ.λασχω (aut: λαχω) propr: crepo, disrumpor cum crepitu. –

qui accipiat munus hujus ministerii atque apostolatus, ex quo decessit Joudas, ut abiret in locum suum. Atque sortem misserunt, atque incidit sors in Mathiam, atque suffragiis adscriptus est numero duodecim apostolorum. –

## Cap: II.

Atque sub finem dierum pentecostis erant omnes unanimes eodem loco. Atque subito venit strepitus, ut flatus venti vehementis, super illos, atque implevit totum domum, ubi consederant. Atque apparuerunt illis flamulæ discissæ quasi ignis, atque consedit super unumquemque eorum, atque omnes completi sunt spiritu sancto; atque inceperunt sua quisque lingua loqui, prouti spiritus cuique dedit loqui. Erant autem Hierosolymæ habitantes Joudæi, viri pii ex quavis gente, quæ est sub coelo. Edita vero illa voce, convenit multitudo atque diffusa est, propterea quod sua quisque eos dialecto loquentes audivit. Stupefacti admirati sunt ita inter se loquentes nonne ecce omnes illi, qui loquuntur, sunt Judæi; atque quomodo audimus nos, quemque nostro proprio dialecto, quo nati sumus, loquentem – Parthi atque Medi, atque Elamitæ, atque qui inhabitant Mesopotamiam, Joudæam atque Kappadociam, Pontum atque Asiam, Phrygiam atque Pamphyliam, Ægyptum atque partem Libuæ, quæ est apud Cyrenen, atque peregrini Romani, Judæi, proselutæ, Kretes atque Arabes. audimus eos prædicantes præclare a Deo facta nostris linguis? Obstupefacti omnes hæsitaverunt, alter alterum alloquens: quid hoc sibi velit? Alii vero, irridentes, dixerunt: mero pleni sunt.

Petrus vero in medio consistens una cum undecim, voce sublata, respondit illis: Viri Judæi, atque omnes, qui inhabitant Hierosolymam scitote atque animum intendite ad verba mea. Neque enim illi, ut vos statuitis, inebriati sunt; est enim hora tertia diei; sed hoc est id, quod dictum est per prophetam Joelem: Atque erit ultimis diebus, ait Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem; et vaticinabuntur filii vestri et filiæ vestræ, atque juvenes vestri visiones videbunt, atque senes vestri somnia somniabuntur; atque super servos, atque super servas meas illis diebus effundam de spiritu meo, atque vaticinabuntur; atque patrabo portenta in coelo supra, et signa in terra infra, sanguinem et ignem, et vaporem fumi. Sol commutabitur in tenebras, luna in sanguinem, usque dum venerit dies Domini magna atque illustris (horribilis). Atque erit: quicumque invocaverit nomen Dei, ille servabitur.« Viri Israelitæ audite hæc verba: Jesum Nazarenum, virum a Deo vobis vi, portentis et signis comprobatum (quæ fecit Deus per illum inter medios vos, ut ipsi scitis) illum vos constituto antea consilio et præscientia Dei traditum accipientes, manibus injustis cruci affixum interfecistis. Quem Deus, solutis mortis doloribus,<sup>[e]</sup> suscitavit, propterea quod non fieri potuit, ut ille imperio ejus subj[i]ceretur. Davides enim dicit illi: prospicio in Dominum oculis

[e] ωδιν-ος. לך

meis semper obversantem, quod adest mihi e dextra, ne (occeltem) de statu dejiciar; ideo lætatum est cor meum et exsultavit lingua mea; etiam caro mea acquiescet in spe; quod non relinques animam meam in Tartaro, neque permittes, ut sanctus tuus videat putretudinem. Ostendisti mihi viam vitæ, implebis me lætitia coram facie tua.« Viri fratres licet libere ad vos loqui de patriarcha Davide eum etiam mortuum esse, mortuumque sepelitur, et monumentum (sepulchrum) ejus est inter nos ad hunc usque diem. Cum igitur esset propheta et bene gnarus, deum sibi jurejurando obstrinxisse, facere ut ex fructu lumbi ejus considat in throno ipsius; providens igitur locutus est de resurrectione Christi, non relicta est anima ejus in Tartaro, neque caro ejus vidit putretudinem. Hunc Jesum suscitavit Deus, cujus omnes nos sumus testes. Ad Dextram igitur Dei sublevatus, promissione de spiritu scto a patre accepta, effudit hoc, quod nunc vos videtis atque auditis. Neque enim Davides adscendit, loquitur vero: Dominus dixit Domino meo: sede ad dextram meam usque dum fecero hostes tuos scabellum tuum.« Firmiter igitur omnis domus Israelis cognoscat, Deum hunc Jesum, quem vos cruci affixisti[s], et dominum et Christum fecisse. –

Qua re audita illi vehementer sunt commoti<sup>[f]</sup> animo, dixerunt ad Petrum : quid faciemus, fratres? Petrus vero respondit: Convertite et baptizamini quisque vestrum in nomine Jesu Chr.; ad remissionem peccatorum; atque accipietis donum sp. s.:. Vobis enim est promissio et filiis vestris et omnibus, qui sunt procul, quotquot dominus Deus noster convocabit. Multis aliis verbis testatus atque cohortatus est, ita loquens: salutem admittite ex perversa hac generatione. Qui igitur libenter acceperunt verbum ejus, baptizati sunt, atque additi sunt illo die animorum ad tria millia. Erant assidui doctrinæ apostolorum, atque comunioni, atque fractioni panis, atque precibus.

Omnem vero animam metus invasit, multa portenta atque signa per apostolos patrata sunt. Omnes vero credentes erant eodem loco, atque habebant omnia communia, et vendiderunt possessiones et opes, et distribuerunt hæc omnibus prouti cui opus erat. Diu erant una assidui in templo, domi pane fracta fructi sunt cibo in lætitia et simplicitate<sup>[g]</sup> cordis, orantes Deum atque gratiam ineuntes cum toto populo. Deus vero ecclesiæ servatos quotidie addidit.

### Cap III.

Sub idem tempus Petrus et Johannes ascenderunt ad sanctum hora precum nona. Atque vir quidam claudus ex utero matris portatus est. Illum proposuerunt diu ad portam templi, quæ dicitur pulchra, ut precaretur stipes ab illis, qui introibant in templum. Ille videns Petrum et Johannem introituros templum, rogavit accipere stipes. In quem quum Petrus cum Johanne

[f] κατανοσσωσ. νυττω. 1) compungo 2) passiv vehementer commoveor, afficio.

[g] αφελοτης. απαξ λ. (ex αφελης propr: lapid[ib]us carens, ex α pr: et φελλευσ terra saxosa) simplicitas, integritas i: q: απλοτης.

oculos intendissent, dixit nos adspice. Ille vero observavit illos, exspectans quid ab illis accipere. Dixit Peter: argentum et aurum non habeo, quod vero habeo id do tibi: in nomine Jesu Chr: Nazareni surge et ambula. atque comprehendens manum ejus dextram erexit. Mox (planta pedis) pes et malleolus pedis firma facta sunt, atque exsultans exsiliens constitit atque ambulavit; et introiit una cum illis templum, ambulans, exsiliens, prædicans Deum. Atque vidit totus populus eum ambulantem et celebrantem Deum. Atque agnoverunt eum esse eundem, qui ut stipes compararet ad portam pulchram templi consederat; et omnes impleti sunt pavore et stupore ob id, quod ei evenerat. –

Quum ille manu comprehenderet (alii sectaretur) Petrum et Johannem, concurrunt populus ad illos in porticum, quæ dicitur Salomonis, stupefacti. Hoc videns Petrus, respon \*dit populo: Viri Israelitæ cur hoc admirationem vestram movet; aut cur nos intentis oculis adspicitis vos, quasi propria vi et pietate fecerimus, ut ille ambularetur? Deus Abr:, I. et J., Deus patrum nostr[or]um celebravit filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, et repudiastis coram Pilato judicante debere eum interire. Vos autem sanctum et justum repudiastis, et rogastis, ut latro donaretur vobis, principem vero vitæ interfecistis. Quem Deus ex mortuis suscitavit, cujus nos martyres testes sumus. Atque per fidem in nomen ejus, hunc, quem vos videtis et scitis, nomen ejus corroboravit; et fides per illum dedit illi hanc integritatem coram vobis omnibus. Atque nunc fratres scio vos per ignorantiam egisse ut etiam principes vestri. Deus vero, quæ prædixerat per os omnium prophetarum, fore ut Christus pateretur, ita eventu comprobavit. Resipiscite igitur et convertite, ut remittantur peccata vestra, ut veniant tempora recreationis ab illo, atque demittat Jesum Chr: vobis antea delectum, quem oportet coelum possidere<sup>h</sup> usque ad tempora restitutionis omnium rerum, quæ commemoravit Deus per os sanctorum ejus prophetarum. Moses enim dixit ad patres: prophetam vobis excitabit ex fratribus vestris, ut me, illum audietis in omnibus rebus, quascunque ad vos dixerit. Fiet vero ut, quæcunque anima non audiverit, exterminetur illa e populo.« Atque omnes prophetæ inde a Salomone atque deinceps, quotquot locuti sunt, etiam dies ejus nuntiarunt. Vos vero estis filii prophetarum, atque foederis, quod proposuit Deus patribus vestris ad Abrahamum dicens: atque in semine tuo beneficiis afficiuntur omnes gentes<sup>[i]</sup> terræ«. Ad vos primos Deus resuscitatum filium suum misit vos beneficiis afficientem, ut redeatis (convertatis) a sua quisque pravitate.

#### Cap: IV.

Quibus verba ad populum facientibus institerunt sacerdotes, et præfectus templi et Sadducæi, ægre ferentes, quod docerent illi populum, et nuntiarent in

h Jeg har med Flid en Tvetydighed i min Oversættelse, enten kan man sige: ham bør det at indtage Himlen (saaledes d. Danske); ell. Himlen bør det at modtage ham; hvilket synes at have dogmatisk Betydning, da Xsti Virksomhed jo ikke var fuldendt før hans Tilbagekomst, og forsaavidt Himlen modtager ham : han vendte tilbage til hvor han var før, for da at indtage Himlen.

[i] משפחה, אב

Jesu resurrectionem mortuorum. Atque injecerunt manus in illos, atque publicis vinculis tradiderunt in diem sequentem, erat enim jam vesper. Multi vero eorum, qui audiverant verba crediderunt, atque evasit numerus virorum usque ad quinque millia. Accidit vero, ut postridie principes atque presbyteri, atque legis periti colligerentur in Hierosolymam, atque Anna[s], pontifex maximus, atque Johannes et Alexander et quo[t] quot erant ex genere pontificali. Quos in medio positos quæsiverunt: qua vi aut quo nomine hoc fecistis? Tum Petrus plenus sp. sct: dixit ad illos: principes populi et presbyteri Israelis si hodie rei facimur beneficii adversus hominem imbecillum, in quo ille salvus factus est. Scitote igitur vos omnes et totus populus Israelis: in nomine Jesu Chr: Nazareni, quem vos cruci affixistis, quem Deus suscitavit e mortuis, in hoc ille sanus inter vos constitit. Ille est lapis, a vobis ædificantibus parvi habitus, qui factus est caput anguli. Neque est in ullo alio salus; neque enim est nomen aliud sub coelo datum hominibus, in quo oportet nos servari. Videntes vero Petri libertatem atque Johannis, et percipientes eos esse homines litterarum imperitos et tirones, mirati sunt, agnoverunt quidem, eos fuisse cum Chr:. Videntes vero hominem adstantem illis sanatum illum, non habuerunt, quæ responderent. Cum autem jusissent, eos exire extra synedrium, consilium inierunt (consultabant) hisce verbis: quid faciemus cum hisce hominibus, miraculum enim omnibus notum (insigne) factum est per illos, apertum omnibus, qui inhabitant Judæam; neque possumus negare; sed ne magis divulgetur in vulgus, minis deterrebimus, ne cui hoc alloquantur nomine. Atque vocatis illis præceperunt, ne omnino loquerentur, neve docerent in nomine Jesu. Petrus vero et Johannes responderunt: num justum sit coram Deo vobis magis obedire quam Deo, dijudicate. Neque enim possumus nos, quæ vidimus et audivimus, non loqui. Illi vero, minis insuper adjectis, dimiserunt illos, non inventes, quomodo poenas illis infligerent propter populum; omnes enim celebrabant Deum ob id quod factum erat. Erat enim ille, in quem hoc signum sanationis incidit, amplius quadraginta annos natus.

Dimissi venerunt ad suos, atque nuntiarunt, quæ illis pontifices et presbyteri dixerant. Illi, hac re audita, una vocem sustulerunt his verbis: Domine tu es Deus, qui fecisti coelum et terram et mare et omnia, quæ sunt in illis loquens per os Davidis filii tui: Cur fremuerunt<sup>[j]</sup> gentes, et populi vanis operam dederunt, resurrexerunt reges terræ et principes in unum locum congregati sunt adversus Dominum et adversus unctum ejus.« Congregati enim vere sunt in hac urbe adversus filium tuum sanctum, quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus cum gentibus et populo Israelitico, ut facerent, quæ manus tua et consilium antea fieri constituerat. Atque nunc Domine irritas fac minas eorum et da servis tuis omni animi libertate loqui verbum tuum eo, quod extendis manum tuam ad sanationem, et signa et portenta fiunt per nomen sancti tui filii. Atque cum illi precati sunt commotus est locus, ubi erant congregati; et omnes impleti sunt sp. scto, et nuntiarunt verbum Dei omni libertate. –

[j] φρουρασσομαι, αζομαι. depon: med: proprie de equis frementibus. fremo ferocio. In N. T. legitur semel et quidem Aor: 1. act.

Et omnium credentium erat unum cor et una anima, neque quisquam quid opum suarum suum esse contendit; sed omnia erant communia. Et magna vi apostoli testimonium resurrectionis J:Chr: ediderunt, et gratia magna erat super omnes. Neque enim erat quis indigens inter illos; quotquot enim erant possessores prædiorum vel domiciliorum hæc vendentes protulerunt pre \*tium venditorum, et deposuerunt ad pedes apostolorum, et divisum est cuique prouti ei opus erat. Joses vero, qui ab apostolis vocatus est Barnabas (h: e: interpretatum filius consolationis) Levita, Cyprius genere, cum ei esset ager, vendidit illum et protulit pretium et deposuit ad pedes apostolorum.

Cap. V.

[k] εψευσω 2 sing: Aor 1. med.

[l] συστειλλω simul cum aliis paro, ordino; alii obvolvebant fasciis et linteis.

[m] αφιστημι - seorsum colloco. deinde seduco semel.

Cap. VI.

συζητεω 1) quæro aliquid una cum aliquo 2) vicissim quæro, colloquor, disputo, προς τινα. – seque: Dat. pers. est disputo contra aliquem.

Act: 22, 5 τιμωρεω (a τιμωρος contr: pro τιμασος honorans, æstumans, adjuvans, vindicans, ulciscens, puniens) 1) vindico aliquem ab injuria illata cum Dativ. personæ 2) punio ob injuriam, castigo seq: acc: personæ sic semel scilicet h: l: 3) ex adjuncto torqueo, crucio Act: 26, 11. – 22, 25 ἱμας, ἱμαντος Iorum.

Act. 23, 3 κονιαω (a κονια pulvis) calce obduco, dealbo. – bis: Math. 23, 27. et hic.

Act. 23, 23 δεξιολαβος. Hanc vocem, quam profani ignorant, Act 23, 23 militum genus indicare certissimum quidem est, qualenam autem et cur ita appelletur, incertum. Alii satellites vel regis vel tribuni, alii legentes: δεξιοβολος i: e: funditores sagittarios. Vulgata: lancearios. –

#### Cap. 24.

Post quinque dies descendit pontifex Ananias cum presbyteris et oratore quodam Tertyllo, qui comparuerunt coram principe adversus Paulum. Qui quum provocaretur, incepit Tertyllus accusare, dicens: Magna pace usi sumus per te et instituta tua in utilitatem hujus populi disposita semper et ubique disposita amplectimur præstantissime Felix omni gratiarum actione Ne igitur longius te detineam, rogo te, ut audias nos tua humanitate. Nacti enim sumus hunc hominem pestiferum, et concitantem tumultum omnibus Judæis, qui sunt super totum orbem, ducem sectæ Nazareorum, qui etiam conatus sanctum profanare. Quem etiam comprehendimus et voluimus secundum legem nostram judicare. Veniens vero Lysias, tribunus, magna vi eduxit illum e manibus nostris, jubens accusatores ejus ire ad te, a quo tu ipse investigans poteris de hisce omnibus rebus cognoscere, quarum nos eum accusamus. Judæi etiam eum ingressi sunt<sup>[n]</sup> dicentes: hæc sese ita habere. Respondit Paulus, annuente tribuno, sciens te a multis jam annis fuisse judicem hujus populi meliore animo verba pro me facio, cum tu possis intelligere mihi non esse amplius duodecim dies, ab illo usque, quo adscendi adoratum Hierosolymam. Neque me in templo invenerunt cum aliquo colloquentem, aut portionem multitudinis facientem neque in synagogis neque in urbe, neque quidquam eorum possunt comprobare, quorum me accusant. hoc tibi profiteor, me secundum viam, quam sectam vocant, me ita colere deum paternum, credens omnibus in lege et in prophetis scriptis, habens spem ad Deum, quam etiam

[n] συνεπιτιθημι 1) simul impono 2) simul aggredior, una infesto aliquem.



illi exspectant, resurrectionem mortuorum futuram esse, proborum et improborum. In hoc autem incumbit ut habeam conscientiam inculpatam erga Deum et erga homines semper. Post vero plures annos perveni misericordias præstaturus adversus gentem meam et oblationes., in quibus invenerunt me purificatum in sancto non turba non tumultu, nonnulli ex Asia Judæi, quos oportet [opportebat] apud te adesse, atque accusare si quid habeant [habe]rent adversus me. Aut illi ipsi dicant, si quid deprehenderunt in me injustitiæ, cum starem in synedrio, nisi de hoc uno verbo, quod clamavi inter illos stans, ob resurrectionem mortuorum ego hodie condemnor a vobis. Felix illos distulit, accuratius institutus de via eorum, dicens, ubi Lysias tribunus descenderit ego etiam decernam vestram causam. præcepit vero centur[i]oni ut custodiret illum, et vinculasolveret – sineret vincula relaxari., neve quemquem prohiberet, quo minus quis suorum eum administraret aut accederet ad illum.

Post autem nonnullos dies cum advenisset Felix cum Drysilla uxore, quæ erat Judæa, arcessivit Paulum, et audivit illum de fide ejus in Jesum Chr.: Cum vero illa verba faceret de justitia, de abstinentia, de judicio futuro tremefactus Felix respondit: in præsentia abi, opportunitatem nactus, arcessam te, simul sperans, fore, ut sibi a Paulo pecunia daretur, ut solveret illum, quare etiam frequentius eum advocans, collocutus est cum illo. Biennio autem expleto accepit Felix successorem Porcium Festum. Cum vero vellet gratiam<sup>[o]</sup> præstare Judæis Felix, reliquit P. vinctum. –

[o] χάρις ut h: l: ex metonymia, documentum favoris, gratum –

## Cap 25.

Cum autem Festus suscepisset provinciam, post tres dies descendit Hierosolymam Cæsareâ. Apparuerunt vero coram eo pontifex et primores Judæorum adversus Paulum, et rogaverunt eum precantes gratiam adversus illum, ut arcesseret illum Hierosolymam, insidias struentes, ut interficerent illum in via. Festus autem respondit: debere eum servari Cæsareæ, ipsum quam celerrime exiturum esse. Qui igitur, inquit, inter vos sunt potentes, una itinere facto, si quid est in illo homine, accusent illum. Commoratus autem inter illos non amplius dies octo vel decem descendit Cæsaream, postero vero die sedens in tribunali, jussit Paulum produci. Incedenti illi circumstiterunt Judæi, qui Hierosol. descenderent, multa et gravia crimina adversus Paulum præferentes, quæ non potuerunt ostendere, illo sese defendente: neque adversus legem Judæorum, neque adversus sanctum, neque adversus Cæsarem quid peccavi. Festus vero, ut gratiam exhiberet Judæis, respondit: Visne tu, Hierosoly: adscendens ibi a me de hisce rebus judicari: respondit Paulus: coram tribunal[i] Cæsaris sto, ubi oportet me judicari. Judæis nil mali intuli, ut etiam tu bene intellexisti: si enim injuste ago, aut morte dignum quod feci, non deprecor mori, si vero nihil est eorum, quorum illi me accusant, nemo potest me illis largiri, Cæsarem invoco. Tum Festus,

collocutus cum concilio Cæsarem invocavisti – ad Cæsarem ibis.

Nonnullis vero diebus interjectis Agrippas rex et Berenice pervenerunt Cæsaream, salutaturi Festum. Cum vero plures dies ibi commorarentur Festus regi proposuit causam Pauli dicens: vir quidam est vinctus mihi a Felice relictus, de quo, quum pervenissem Hierosolymam apparuerunt pontifices et presbyteri Judæorum (causam ei dicentes.) iudicium rogantes adversus eum. Quibus respondi: Non est Romanorum mos tradere quemquam in interitum, antequam accusatus habeat præsentis accusatores, atque accipiat locum defensionis adversus crimen Qui cum inde exiissent, paulisper causam differens, cum deinceps sederem in tribunali, jussi eum produci. Cui circumstantes accusatores nullam culpam protulerunt, quam ego suspicabar. Nonnullas quæstiones de propria religione habuerunt adversus illum atque de Jesu quodam mortuo, quem Paulus dixit vivere. Cum hæsitarem de hac quæstione quæsivi, num ire vellet Hierosolymam, et ibi judicari de hisce rebus. Cum autem P. rogaret<sup>p</sup> ut servaretur in Augusti cognitionem (sententiam[,] iudicium) jussi eum custodiri, donec mitterem illum ad Cæsarem. Agrippa vero dixit: volui et ipse hunc hominem audire, ille vero cras, inquit, audies illum.

ρ επικαλεω Act. 7, 59.

Postero vero die cum Agrippa et Berenice magna pompa venissent, et auditorium introissent cum tribunis et viris præstantissimis urbis, jubente Festo, productus est Paulus. Atque dixit Festus: Agrippas, rex, atque omnes, qui adestis, viri, videte hunc, super quem tota multitudo Judæorum intercesserunt apud me Hierosolymis et hic, clamantes non oportere eum amplius vivere. Cum autem ipse perciperem, eum nihil morte dignum fecisse, cumque ille provocarit ad Augustum, statui eum mittere. De quo, ratum quod scribam non habeo, quare produxi eum ad vos, et maxime ad te, rex Agrippa, ut, examinatione instituta, habeam quod scribam. Ineptum enim mihi videtur mittere vinctum et crimina adversus eum prolata non significare. –

Cap. 26.

AgrippaPaulo dixit: permissum est tibi verba facere, tum P., extenta manu, se defendit: de omnibus rebus, quorum reus a Judæis factus sum, rex Agrippa, statuo me beatum, qui ad te hodie causam dicturus sim. Quare rogo te, ut æquo animo me audias. Vitam igitur meam inde ab juventute, quæ ab initio fuit in populo meo Hierosolymæ, omnes Judæi sciunt. Qui etiam, quum antea me cognorint, si velint, testimonium etiam edere possunt: me Pharisæum secundum sectam profundissima nostri cultus cognitione institutam vixisse. Et nunc ob spem in promissionem patribus nostris a Deo datam, constitui hic iudicandus, cujus duodecim tribus nostræ, uno tenore die

[q] calcitro.

[r] οφθησομαι. h: l: transitive ita Bretschneider.

noctequae colentes, sperant sese futuros participes, ob quam spem ego accusor rex Agrippa, ab Judæis – cur incredibile habetur apud vos, si Deus suscitatur mortuos. Et ego quidem putavi me oportere adversus nomen Jesu Nazareni multa adversa facere. Quod etiam feci Hierosolymæ et multos sanctos carceribus inclusi a Sacerdotibus potestate, et cum illi interficerentur approbavi. Et per omnes synagogas sæpe cruciavi illos, et coegi illos ut maledicerent, vehementius etiam furens adversus illos, persecutus sum eos ad in urbes usque extra positas (in exteris civitates). In quibus etiam (quarum rerum studio) cum iter facerem Damascum cum potentia et mandato ab pontificibus meridie via vidi, rex, lumen super lucem solis circumfulgens me et qui una iter fecerunt. Quum omnes consideremus humi audivi vocem me alloquentem: et dicentem lingua hebræa: Saul, Saul cur me persequeris, durum erit tibi adversus stimulum calcitrare<sup>[p]</sup> Ego vero dixi, quis es domine? ille vero respondit: ego sum Jesus, quem tu persequeris, sed surge et consiste pedibus tuis. Ad hoc enim apparui tibi, ut eligerem te ministrum et testem eorum quæ vidisti, et quæ tibi ostendam.<sup>[r]</sup> Eligens te ex gente tua et ex gentilibus, ad quos te mitto, ad aperiendos oculos eorum, ut redeant ex tenebris in lucem atque ab imperio satanæ ad deum, ut accipiant illi remissionem peccatorum et sortem cum sanctis fide in me habita. Unde rex Agrippa non fui immoriger celesti visioni, sed illis, qui sunt Damasci primum, deinde Hierosolymæ per totam regionem Judææ et gentilibus prædicavi resipiscere et convertere se ad deum facta digna resipiscentia patrans. Quam ob causam Judæi me in templo comprehensum, conati sunt interficere. Auxilium igitur nactus a deo ad hunc diem usque steti, testimonium edens parvo et magno, nihil prædicans, nisi quod prophetæ futurum locuti sunt et Moses.

Hæc autem cum pro se diceret: Festus magna voce clamavit insanis Paule, multæ tuæ litteræ ad insaniam te vertunt; Ille vero: non insanio, inquit, præstantissime Feste, sed verba<sup>[s]</sup> veritatis et moderationis facio. Nam de omnibus hisce rebus rex scit, ad quem etiam libere loquor, neque enim persuadeor quid horum eum latere, neque enim hoc est factum in angulo factum. Credis rex Agrippa, prophetis. Agrippas vero dixit Paulo, haud multum abest et me persuades, ut Christianus fiam. Paulus vero. Orarem deum, si multum abest si parum, non solum ut tu sed etiam omnes qui me hodie audiunt, fieretis tales, qualis ego sum, exceptis hisce vinculis. Surexit rex et præfectus et Berenice atque qui cum illis considerunt et secesserunt inter [se] loquentes hisce verbis: hinc homo nihil morte vel vinculis dignum fert. Agrippas dixit Festo: dimitti poterat ille vir, si non appellasset Cæsarem. –

[s] αποθρογγομαι (φθρογγομαι – φθρογμα sonus

Cap. 27.

Postquam autem decretum est, ut navi veheremur in Italiam, tradiderunt Paulum et nonnullos alios vinctos Centurioni, nomine Julio, ex cohorte Augusta. Adscendentes igitur navem Adramutenam, navigaturam juxta loca Asiæ, solvimus, et erat nobiscum Aristarchus, Macedonicus, Thessalonicensis. Sequentie die vecti sumus Sidonem. Et Julius humane tractavit Paulum et permisit, ut amicos adiret, ut curaretur. Atque solventes præternavigavimus Cyprum ob ventum infestum, mare autem secundum Ciliciam et Pamphiliam pernavigantes pervenimus Muram in Lyciam. Ubi cum centurio navem Alexandrinam, in Italiam navigantem [invenisset,] deduxit nos in illam. Cum Nonnullos vero dies tarde navigaremus, vix qui devenissemus contra Cnidum non permittente vento, præternavigavimus Cretam juxtim Salmonem, et vix præterlegentes eam, pervenimus in locum quendam, qui dicitur bonus portus, cui prope erat urbs Lasaea. Satis magno temporis spatio interjecto, cum jam navigatio periculosa<sup>[t]</sup> esset propterea quod jejunium jam præteriisset cohortatus est illos Paulus: Viri, video hanc navigationem cum injuria et magno detrimento non solum oneris et navis sed etiam animarum nostrarum. Centurio vero magis obedivit gubernatori et nauclero quam a Paulo dictis. et Cum portus non esset ad hiemandum aptus,<sup>[u]</sup> plerique consilium dederunt solvendi inde si forsitan profecti Phoenicem, ibi hiem[em] agere possent, portum spectantem Libanum et Chorum Leniter vero spirante Noto, rati se propositi compotes, Cretam propius præterlegebant Non multum post irruit<sup>[v]</sup> adversus illam ventus procellosus, qui vocatur Euroclydon (Eurus procellosus). Cum autem correpta esset navis, neque posset obniti vento

Insulam vero quandam prætervehentes ægre potuimus compotes fieri scaphæ.<sup>[w]</sup> Qua sublata omnibus adjumentis utebantur, circumcingentes navem, metuentes autem, ne inciderent in Syrtim, demissis velis ita ferebantur. Cum vero vehementer tempestate<sup>[x]</sup> vexaremur, postero die jacturam fecimus, et tertio die apparatus nostris manibus projecimus. Cum vero neque coelum, neque sidera per plures dies apparerent, tempestate non exigua imminente, ceterum omnis spes salutis nobis eripiebatur. Quum magna ciborum penuria esset, tum Paulus in medio stans, dixit oportebat vos mihi obedientes non solvisse a Creta, et evitasse hanc jacturam et poenam. Et nunc cohortor vos, ut bono animo sitis, neque enim erit jactura ulla animarum nostr[ar]um, sed tantum navis. Adstitit enim mihi hac nocte angelus dei, cujus sum, quem colo dicens: noli metuere: oportet te Cæsari sisti et ecce largitus est Deus tibi omnes tecum navigantes. Quare bono animo estote viri, fidem enim habeo Deo hoc fore eo modo quo mihi dictum est. In insulam aliquam oportet nos incidere. Cum vero esset nox decima quar[ta], atque circumvagantibus nobis per mare Adriaticum media nocte opinati sunt nautæ aliquam terram sibi appropinquare; et bolidem demittentes invenerunt

[t] επισφαλής (επι et σφαλῶ supplanto, evertō) ad cadendum pronus 2) periculosus.

[u] ανευθετος (α pr. ευθετος) non appositus, non aptus, incommodus.

[v] εβαλεσc: εαυτον (cfr Mth. 4, 6) irruit

[w] ex σκαπη.

[x] χειμαζω tempestate expono, pass: tempestate vexor. -

[y] ζευκτηριος, ια, ιον (α ζευκτηρ copulans) aptus ad copulandum substantive vinculum.

passus viginti et paululum progressi et rursus bolidem demittentes invenerunt passus quindecim, metuentes autem, ne forte in loca scopulosa incideremus, ex puppi ancoris quatuor projectis, rogaverunt, ut dies oriretur. Cum vero nautae conarentur fugere ex nave, et demitterent scapham in mare, præ se ferentes se ex prora a[n]coras demissuros, dixit Paulus Centurioni et militibus, nisi illi permaneant in nave vos non possitis servari. Tum milites vincula scaphæ absc[id]erunt, atque passi sunt eam excidere. Sub diluculo vero Paulus commonebat omnes, ut cibum caperent dicens: hodie diem decimam quartam, exspectantes, perfecistis jejuni, nil capientes. Quare cohortor vos, ut cibum capiatis; hoc enim opus est ad vestram salutem, nullius enim vestrum capillus cadet. Quod cum dixisset cepit panem et gratias egit deo coram omnibus et frangens incepit comedere. Ipsi vero recreati omnes etiam cibum ceperunt. Eramus autem omnes animæ in nave ducentæ septuaginta sex. Satiati vero cibo leviolem fecerunt navem, ejecto tritico in mare. Cum autem dies esset terram non agnoscebant observarunt autem sinum quendam littus habentem, in quem voluer[un]t, si liceret, navem propellere. Et cum ancoras sustulissent, tradiderunt mari, etiam relaxantes vincula<sup>[y]</sup> gubernaculorum, et tollentes artemonem vento, cursum dirrexerunt (tendebant) in litus. Cum vero incidissent in locum bimarem, allidebant navem, et prora infixam manebat immobilis, puppis vero solvebatur vi undarum. Militum autem erat consilium, ut vinctos interficerent, ne quis natando aufugeret. Centurio autem, cum vellet servare Paulum, impedivit consilium eorum, jussit vero, qui potuerunt natare, primos se dejicientes in continentem exire, ceteros autem alios in tabulis alios in reliquiis naviculi. Et ita factum est, ut omnes salvi pervenirent in terram.

[z] φρυγανον. (α φρυγω torreo. torrefacio)  
virgultum aridum, sarmentum.

[æ] συστρεφω (συν et στρεφω) verto, verso: e  
convolvo in fascem, colligo.

[ø] πιμπρω usitatus πιμπρημι fut: πρησω 1)  
incendo 2) ad tumorem, qui ex inflammatione  
oritur, transfertur, tumescere facio, med:  
intumesco

## CC:2

### Epistola ad Philippenses.

Paulus et Timotheus, servi Jesu Chr.: omnibus sanctis in Chr. Jesu qui sunt Phillipis, cum episcopis et diaconis gratia vobis et pax a deo patre nostro et domino Jesu Chr.

Gratias ago Deo meo in omni mea vestrum memoria, semper in omnibus precibus meis super vos omnes – cum lætitia imprecans – ob participationem vestram in evangelium a primo die usque ad nunc hoc ipsum persuasus, qui inceperit in vobis bene factum, perfecturum eundem ad diem usque Jesu Chr.: Ut justum est me hoc sentire super vos omnes, propterea quod habeo vos in corde meo, in vinculis meis, nec non in evangelio et defendendo et confirmando, omnes vos mecum participes gratiæ Testis enim meus est Deus, quomodo desidero vos omnes in visceribus Jesu Chr. Atque hoc insuper rogo, ut amor vester magis atque magis abundet in cognitione atque omni perceptione, ut vos diversa exploretis, ut sitis integri et inculpati ad diem Christi, impleti fructu justitiæ qui est per Jesum Chr: in gloriam et laudem Dei. –

Volo enim vos scire, quæ mihi acciderunt, magis in profectum evangeli[i] cessisse, ita ut vincula mea in Christo aperta facta sint in toto prætorio et reliquis omnibus locis atque plurimi fratres in domino confisi vinculis meis locupletius audeant sine metu verbum facere Nonnulli quidem ob invidiam et contentionem, alii autem etiam per benevolentiam Chr: prædicant, qui ex amore gnari, me ad evangelium defendendum jacere, qui ex invidia Chr: prædicant non pure rati sese afflictionem vinculis meis illaturos. Quid? utique quovis modo sive per simulationem sive per veritatem Christus prædicatur atque in hoc lætor imo – lætabor. scio enim hoc me in salutem evasurum ob preces vestras, et auxilio sp. Je: X, secundum

expectationem et spem meam, quod in nulla re pudore suffundar sed in omni libertate, ut semper, sic nunc etiam celebrabitur Chr: in nomine meo sive per mortem sive per vitam. mihi enim vivere est Chr: – mori lucrum. si vero in carne vivere hoc mihi fructus facti nescio, quid eligam ex duobus illis constringor, cupiens solvere et esse cum Chr. – multo enim melius est – apud vos vero in carne manere – ob vos magis est necessarium. atque hoc persuasus scio me mansurum et una cum vobis omnibus permansurum in progressum vestrum et lætitiā fidei, ut gloriatio vestra superabundet in Xsto Jesu in me ob præsentiam meam denuo apud vos.

Modo vitam Ev. Xsti dignam agite ut sive veniens et videns vos sive absens audiam, vos in uno spiritu consistere unanimi certantes fide evangelii, nec in ulla re ab adversari[i]s perterriti, quæ illis est apparitio interitus vobis autem salutis et hoc a deo, quod vobis largitum est obChr., non solum in eum fidem habere sed etiam ob eum pati eandem pugnam habentes, quam videtis in me, et nunc auditis in me.

## Cap. II.

si quæ igitur est in Christo consolatio, si quod amoris solatium si quæ spiritus cōmuniō si qua viscera – et misericordiæ – hanc mihi gratiam implete ut idem cogitatis, eundem amorem habentes, unanimi, idem cogitantes, nil ad contentionem aut vanam talem gloriam, sed humilitate alii alios habentes se ipsis superiores, non sua quisque spectans sed quisque quod est aliorum – hic enim sit in vobis animus qui etiam in X., qui quamquam erat in similitudine Dei, non furtum habuit similem esse deo, sed sese exinanivit, servi forma suscepta, in similitudine hominum constitutus, et figura inventus est ut homo, exinanivit sese metipsum, obediens factus ad mortem usque ad mortem in cruce. Quare deus etiam eum superexaltavit, et largitus est ei nomen super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur – celestium et ter[r]estrium et eorum qui sunt sub terra, et omnis lingua profiteatur, dominum esse Jesum Chr, in gloriam Dei patris. Ita fratres mihi dilecti ut semper mihi obedivistis, ne quasi in præsentia mea solum sed nunc multo magis in absentia mea, cum metu et timore in salutem vestram incumbite; deus est enim qui operatur in vobis et esse et perficere prouti ei placitum fuerit. Omnia facite sine turba et disceptationibus ut fiatis inculpati et integri sinceri, filii Dei irreprehensibiles in media generatione prava et perversa; in quibus apparetis lucete ut lumina in mundo verbum vitæ habentes, in gloriationem meam in diem Christi, quod non in vanum cucurrerim neque in vanum laboraverim, quod si etiam exhaurior hostiā et sacrificiō fidei vestræ gaudeo et congaudeo vobis ob hoc ipsum vos gaudete et mihi congaudete.

Spero autem in domino Jesu, me mox Timotheum ad vos missurum, ut ego etiam bono animo fiam, de

rebus vestris certior factus. Neminem enim ego habeo pari animo, qui res vestras sincere curaturus sit, omnes enim quæ sua sunt quærunt non quæ sunt Jesu Christi. Virtutem ejus autem cognoscite, quod ut cum patre filius cum me servivit in Evangelium, illum igitur spero me missurum statim, ut primum res meas perspexerim; persuasus sum in domino me quoque mox venturum Necessarium vero statui Epaphroditum, fratrem et cooperatorem et commilitonem, apostolum autem vestrum et ministrum necessitatis meæ ad vos mittere quoniam desiderabat vos videre, et anxius erat, propterea quod audivistis eum ægrotum fuisse. Atque ægrotus fuit ad mortem usque, sed Deus ejus misertus est, non solum ejus sed etiam mei, ne tristitiam super tristitiam haberem. Eo diligentius eum misi, ut rursus eum videntes letemini, et ego magis sine cura sim (vacem dolore). Accipite igitur eum in domino omni lætitia, et tales in honore habete, propterea quod ob munus Chr: ad mortem usque appropinquavit vitæ periclitatus, ut impleret quod deerat vestro erga me ministerio.

### Cap. III

Ceterum fratres mihi dilecti, lætamini in domino. idem ad vos scribere mihi non est molestum (me non piget) vobis autem firmum est. Videte canes, videtis pravos operatores, videte concisionem. Nos enim sumus circumcisio, spiritu Deum colentes, et gloriantes in Chr: Jes., neque in carne confidentes, quamquam ego quoque habeo in carne fiduciam. Si quis alius videtur confidere in carne ego magis. circumcisus die octavo, ex genere Israel, ex tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus, studio persequens ecclesiam, secundum justitiam, quæ est in lege, factus irreprehensibilis. Sed quæ erant mihi lucra, hæc statuo damnum per ob Xst. Quin etiam statuo omnia jacturam esse ob præstantiam cognitionis Jesu Christi domini mei. ob quem omnium rerum jacturam feci, atque omnia quisquillas habeo, ut Xstum lucrer atque inveniar in illo non meam justitiam, quæ est ex lege habens, sed quæ est ex fide in Christum, justitiam ex deo per fidem, ut cognoscam illam, et vim resurrectionis ejus, et communionem passionum ejus, similis ei etiam morte cruenta, si forsitan perveniam in resurrectionem mortuorum. Non quasi jam acceperim aut jam perfectus sim, quæro vero si comprehendam, quoniam ego quoque a deo sum comprehensus. Fratres mei non statuo me comprehendisse, unum vero, quæ retro sunt oblitus, adeo, quæ ante sunt, me extendens, ad metam contendo, ad præmium superioris vocationis, quæ est in Chr: Jesu. Quotquot igitur perfecti sumus, hoc cogitemus, et si forsitan aliter cogitetis, etiam hoc vobis revelabit dominus. Modo ad quod pervenimus, eadem incedere regula, idem cogitare; latores mei estote, et observate qui ita ambulant, ut habetis nos typum – Multi enim ambulant, quos sæpe vobis dixi, et nunc lacrimans dico, inimicos cruci Christi, quorum finis est interitus, quorum deus venter est eorum, et gloria in turpitudine



ipsorum, ter[r]estria cogitantes. Nostra enim civitas est in coelis, unde etiam exspectamus servatorem nostrum dominum Jesum Chr., qui transformabit corpus humilitatis nostræ ut fiat illud conforme corpori gloriæ ejus, secundum potestatem ejus, ex qua potest omnia sibi subjicere.

#### Cap. IV.

Ita fratres mihi dilecti et desiderati, lætitia et corona mea, ita consistite in domino – dilecti. – Euodiam cohortor et Suntuchen cohortor, ut idem cogitent in domino. Imo rogo te, socie germane, amplectere illos, qui in evangelio una pugnarunt, una cum Clemente et ceteris cooperantibus, quorum nomina sunt in libro vitæ. Gaudete in domino ubique, rursus dico gaudete. probitas vestra perspiciatur ab omnibus hominibus, dominus adest. de nulla re anxii sitis, sed in omni prece et oratione cum gratiarum actione rogationes innotescant apud Deum et pax Dei, quæ superat omnem mentem, custodiet<sup>[a]</sup> corda vestra et cogitationes vestras in Chr: Jes. Ceterum fratres quæcunque sunt vera, quæ sunt honesta, quæ sunt justa, quæ sancta, quæ amabilia, quæ laudabilia, si qua virtus si qua laus hæc cogitate, quæ didicistis et accepistis, audivistis et vidistis in me, hæc facite et deus pacis erit vobiscum.

[a] φρουρεω (ex φρουρος pro προορος providens, custos urbis) custodio

[b] αναθαλλωfut αλω (ex ανα et θαλλω germino, viresco) 1) progermino reviresco 2) transitive produco v: c: καρπους, largiter produco efficio, ut sit. In N. T. semel Phill. 4, 10 resuscitastis curam mei.

quem etiam cogitavistis sed deerat<sup>[c]</sup> opportunitas. Quod non dico Non quod sc: loquar ob penuriam, ego enim didici contentus esse iis, in quibus sum, scio et humilis esse et scio abundare, in omni et in omnibus initiatus sum, et saturari et essurire, et abundare et penuria laborare. Omnia in me corroborante<sup>[d]</sup> Chr. Ceterum bene fecistis, quod participes<sup>[e]</sup> facti estis meæ afflictionis. Scitis etiam vos, Phillipenses, in initio evangelii cum venirem ex Macedonia, nullam ecclesiam in societatem mecum venisse quod attinet ad data et relata, nisi vos solos, vos etiam Thessalonicam ad me semel et bis in usum meum misisse. Non quod quæram donum, sed quaero fructum redundantem in rationem vestram. Accepi omnia et abundo impletus sum accipiens ab Epaphrodito quæ a vobis missa sunt, suffimentum suavissimum, victimam acceptam, gratum deo. Deus meus implebit omnem usum vestrum secundum divitias ejus in gloria, in Chr: Jesu. Deo et patri nostro gloria in saecula saeculorum. Amen.

[c] ακαιρεομαι (ab ακαιρος importunus) tempus opportunum non habeo, deinde opportunitate facultate destituor.

[d] ενδυναμω.

[e] συγκαινωνεω – ησω una cum aliis particeps fio, in societatem alicujus rei venio.

Salutate quemvis sanctum in Chr: Jesu, salutant vos fratres, qui sunt mecum, salutant vos omnes sancti, maxime ex domo Cæsaris. Gratia domini Jesu Chr: cum omnibus vestris.

## Epistola ad Colossenses.

Paulus apostolus Jesu Christi secundum voluntatem  
Jesu et Timotheus frater [iis], qui sunt Colossis sancti  
et fideles fratres in Chr: Gratia vobis et pax a Deo  
patre nostro (et domino Jesu Chr:)

Gratias agimus deo et patri domini nostri Jesu Chr:  
semper, super vos orantes, audientes fidem vestram  
in Chr: Jesu, et amorem adversus omnes sanctos, ob  
spem vobis propositam in coelis, quam antea  
audivistis in verbo veritatis evangelii, quod adfuit  
apud vos ut etiam per totum mundum et est fructum  
ferens et increscens ut etiam inter vos, a die, quo  
audivistis et cognovistis gratiam dei in veritate, ut  
etiam didicistis ab Epaphra dilecto nostro conservo,  
qui est fidelis super vos diaconus Xsti, qui etiam  
significavit nobis amorem vestrum in spiritu. Quare  
etiam nos ab illo die inde, quo audivimus, non  
cessavimus super vos precantes et rogantes, ut  
impleatis cognitionem voluntatis ejus in omni  
sapientia et intellectu spirituali ut ambuletis digne  
domino ad omne obsequium in omni opere bono  
fructum ferentes et increscentes ad cognitionem Dei.  
omni robore roborati secundum vim gloriæ ejus ad  
omnem patientiam et misericordiam cum lætitia.  
gratias agentes patri, qui nos aptos constituit ad  
participationem hæreditatis sanctorum in luce, qui  
eripuit ex potentia tenebrarum, et translocavit nos ad  
regnum filii amoris ejus, in quo habemus  
redemptionem sanguine ejus, remissionem  
peccatorum, qui est imago dei invisibilis, primogenitus  
omnis creaturæ (quod in illo creata sunt omnia, quæ  
sunt in coelis, et quæ in terra, visibilia et invisibilia,  
sive throni, sive dominationes, sive principatus sive  
potestates, omnia per illum et ad illum creata sunt; et  
ipse est ante omnia et omnia in illo consistunt. et ipse  
est caput corporis, ecclesiæ. Ille est principium,  
primogenitus ex mortuis, ut fiat in omnibus ille primus.  
quod in illo placuit omnem plenitudinem habitare,  
atque per eum omnia ad illum reconciliare, pacem  
constituens per sanguinem crucis ejus, per illum sive  
sunt in terra, sive in coelis. et vos, qui antea fuistis  
abalienati et inimici cogitatione in male factis, nunc  
reconciliavit in corpore carnis ejus ob mortem, ad  
præstandos vos sanctos et inculpato et  
irreprehensibiles coram illo. si permanetis in fide  
stabiliti et fundati neque semoti a fide in evangelium,  
quod audivistis, quod prædicatum est per totum  
mundum, qui est sub coelo, cujus ego Paulus factus  
sum diaconus.

Nunc lætor in afflictionibus super vos et superimpleo  
ea quæ desunt afflictionibus Christi in carne mea  
super corpus ejus, quæ est ecclesia. cujus factus sum  
ego diaconus secundum dispensationem dei, quæ  
data est mihi ad vos, ad implendum verbum dei,  
mysterium absconditum a saeculis et generationibus,  
nunc apertum sanctis ejus, quibus voluit deus  
significare, quæ sit copia gloriæ hujus mysterii inter

gentes, qui est Chr: in vobis, spes gloriæ. quem nos prædicamus, admonentes quemque hominem et docentes quemque hominem in omni sapientia, ut præbeamus omnem hominem perfectum in Chr:, ad quod ego quoque laboro, pugnans secundum efficaciam ejus operantem in me potentia.

## Cap. II.

Volo enim vos scire, qualem pugnam habeam super vos atque illos, qui sunt Laodiceæ atque quicumque nondum viderunt faciem meam in carne., ut consolationem accipiant corda eorum, bene edocti in amore, atque ad omnem copiam certitudinis intelligentiæ ad cognitionem mysterii dei et patris et Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et cognitionis absconditi. Hoc dico ne quis decipiat vos verbis ad persuadendum aptis – si enim carne absum, in spiritu vobiscum sum cum lætitia videns vestrum ordinem et firmitatem fidei vestræ in Chr: – Ut igitur accepistis Chr: Jesum dominum in [illo] ambulamini constantes et exstructi in illo et conformati in fide, ut edocti estis abundantes in illa in gratiarum actione. Videte, nequis vos servos faciat per philosophiam et vanam fraudem, secundum traditionem hominum, secundum principia mundi, non secundum Chr:, cum in illo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, et estote in illo impleti, qui est caput omnis principatus et potestatis, in quo etiam circumcisi estis circumcissione manibus non facta, in exuendo corpore (peccatorum) carnis, in circumcissione Christi, sepilisti cum illo in baptismo; in quo etiam erecti estis per fidem efficaciam dei, qui suscitavit illum ex mortuis et vos, qui mortui eratis in peccatis et præputio carnis vestræ vivificavit vos, largiens nobis omnia peccata; extinguens quod est adversus nos manuscriptum dogmatibus, nobis contrarium, et sustulit illud e medio, affigens illud cruci exspolians principatus et potestates proposuit propalam, triumphum transportavit in illo. Ne quis igitur vos judicet in cibo aut potu aut quod attinet ad festos dies, ad novilunium, ad sabbatha, quæ sunt umbra futurorum, corpus vero Chr:. Ne quis vobis palmam eripiat volens in humilitate et cultu angelorum, quæ non vidit, exquirens, vane elatus a mente carnis ejus, neque amplectens caput, unde totum corpus per juncturas et connexiones sublevatum et confirmatum crescit incremento dei. Si mortui estis cum Chr: a principiis mundi, cur, ut viventes in mundo, leges vobis imponi patimini ne tangas, ne gustes, ne contrectes. quæ omnia sunt ad vanitatem usu, secundum præcepta et doctrinas hominum, quæ sunt habentes speciem veritatis in superstitione, et humilitate et neglectu corporis, non cum honore aliquo, ad expletionem carnis.

## Cap. III

Si igitur cum Xsto resuscitati estis, superna quærite, ubi est Xstus sedens ad dextram dei; quæ sursum sunt cogitate non quæ sunt in terra. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita cum Chr: in deo. ubi Xstus apparuerit, vita nostra tum etiam vos cum illo apparebimus in gloria.

Sepilite igitur membra ad terram pertinentia, stuprum, impuritatem, affectus, libidinem, et avaritiam, quæ idolorum cultus. Ideo incedit ira dei super omnes filios immorigeros, inter quos vos etiam aliquando ambulavistis, dum vivebatis in illis; nunc vero deponite vos omnia, iram, indignationem, malitiam, maledictionem, sermones obscenos; ne mentiamini invicem, exuentes veterem hominem cum operibus ejus, et induentes novum, renovatum ad cognitionem secundum imaginem ejus, qui eum creavit; ubi non est Græcus et Judæus, circumcisio et præputium, barbarus, Schytha, servus, liber sed omnia et in omnibus Xstus. Induite igitur ut electi Dei sancti et dilecti viscera misericordiæ, probitatem, humilitatem, benignitatem, patientiam (perferentes vos invicem et condonantes, si quis habeat adversus alium litem, ut etiam Chr: nobis condonavit sic etiam vos.) et pax Chr: præmia sua largiatur in animis vestris, ad quam vocati estis in uno corpore; et accepti evaditis. Verbum Chr: habitet in vobis diviter; in omni sapientia docentes et admonentes, psalmis et hymnis et carminibus spiritualibus gratia psallentes in cordibus vestris deo; et omne, quod agatis, in verbo vel in facto, omnia in nomine domini Jesu Chr:, gratias agentes deo et patri per illum.

Mulieres subditæ sint propriis maritis ut oportet in domino. Mariti amate uxores, et ne adversus illas acerbos vos præbeatis. Filii obedite parentibus in omnibus, hoc enim est acceptum deo, patres ne provocetis liberos vestros, ut ne animum despondeant (ne nimis perterreantur) servi obedite in omnibus dominis secundum carnem, non obsequio ad oculos exhibito tanquam aliorum favorem captantes sed in sinceritate cordis, metuentes dominum. Et quodcunque feceritis ex animo operate ut domino non hominibus, scientes vos a domino accepisse retributionem hæreditatis, domino enim Xsto servitis. Qui vero injuste egit accipiet mercedem suæ iniquitatis, neque est personarum ratio. -

[ Cap. IV ]

Domini præbete justum et æquabilitatem, scientes vos etiam habere dominum in coelis.

Precibus vacate, vigilantes in illis, in gratiarum actione, preces etiam super nos fundentes, ut deus aperiat nobis januam verbi ad prædicandum mysterium Christi, cur ego vincus sum, ut ostendam hoc, quomodo oportet me loqui. - In sapientia

ambulate adversus externos, tempus redimentes.  
Verbum vestrum semper sit in gratia, sale conditum,  
ut sciatis, quomodo oporteat vos unicuique  
respondere. Quod ad me pertinet omnia vobis  
nuntiabit Tuchiaus, dilectus frater, et fidelis diaconus  
et conservus in domino; quem misi ad vos ob hoc  
ipsum ut cognosceret res vestras, et consolaretur  
corda vestra cum Onesimo fidei et dilecto fratre, qui  
est e vobis, omnia vobis patefaciunt, quæ hic sunt.

Salutat vobis Aristarchus commilito meus et Marcus  
affinis Barnabæ, de quo accepistis litteras (si ad vos  
venerit accipite illum) et Jesus, qui dicitur Justus, qui  
sunt ex circumcissione illi soli cooperatores ad regnum  
dei, qui fuerunt mihi solatium Salutat vobis Epaphras  
qui est ex vobis, servus Xsti, semper in precibus super  
vos pugnans, ut sistatis perfecti et impleti in omni  
voluntate dei. Attestor enim illi eum magnum habere  
studium super vos et qui sunt Laodiceæ et qui sunt  
Hierapoli. Salutat vos Lucas, medicus, dilectus, et  
Demas. Salutate fratres, qui sunt Laodiceæ et  
Nympham et ecclesiam in domo ejus et ubi perlecta  
est a vobis epistola, curate, ut etiam in eccl.  
Laodicensi perlegatur; et ut vos etiam perlegatis quæ  
est ex Laodicæa. et dicite Archippo vide ministerium,  
quod accepisti in domino, ut eum impleas. Salutatio  
mea manu recordamini vincula mea, gratia vobiscum.

-

#### **CC:4**

#### 1 Thess.

Paulus et Silanus et Timotheus ecclesiæ  
Thessalonicensium in deo patre et domino Jesu Chr.  
Gratia vobis et pax a deo patre nostro et domino Jesu  
Chr.

Gratias agimus deo semper super vos omnes,  
memoriam vestri facientes in precibus nostris semper  
recordantes vestrum factum fidei et laborem amoris  
et patientiam spei domini nostri Jesu Chr: coram deo  
et patre nostro; cognoscentes, fratres a deo dilecti,  
electionem vestram, evangelium nostrum non fuisse  
ad vos in verbo solo sed etiam in vi et in spiritu  
sancto, et in certitudine multa, quemadmodum scitis,  
quales fuerimus in vobis ob vos. Et vos facti estis  
imitatores domini, accipientes verbum in magna  
afflictione cum lætitia sp. sancti, ut facti sitis vos  
typus omnibus, qui fidem habent in Macedonia et  
Achaia. A vobis enim personuit verbum dei non solum  
per M. et A. sed in quemvis locum fides in deum  
pervenit, ut non opus habeamus quidquam loqui. Ipsi  
enim de nobis nuntiant, qualem introitum habuerimus  
apud vos et quomodo reversi sitis ad deum ab idolis,  
ad serviendum deum viventem et veracem, et  
expectandum filium ejus de coelis, quem suscitavit  
ex mortuis, Jesum, eripientem nos ex ira futura.

## Cap II.

Ipsi enim scitis, fratres, introitum nostrum ad vos non eum fuisse vanum. sed antea multa perpessi et superbe tractati, ut scitis, Phillipis, animum sumsimus in deo nostro loqui ad vos evangelium Dei cum magno certamine. Consolatio enim nostra non erat ex vanitate neque ex impuritate neque in dolo; sed quemadmodum digni habiti sumus quibus a Deo evangelium committeretur, ita loquimur non ut hominibus placere studentes, sed deo, exploranti corda nostra. Neque enim unquam in verbo adulationis fuimus, quemadmodum nostis, neque in occasione avaritiæ, deus testis; neque quærentes ex hominibus gloriam, neque a vobis neque ab aliis, cum possimus esse in afflictione, ut Chr: apostoli; sed facti sumus mites inter vos medios, amore vestrum flagrantes, volumus vobis distribuere non solum evangelium dei; sed etiam animas nostras, quod cari nobis facti estis. Recordamini enim fratres laborem et operam; die nocteque laborantes, ne cui vestrum oneri essemus, prædicavimus vobis evangelium dei. Vos testes estis et deus, quam sancte et juste et inculpate fuerimus vobis fidem habentibus. quemadmodum scitis, quomodo unumquemque vestrum ut pater filios suos cohortantes et consolantes et obtestantes, ut ambularetis vos digne deo, qui vocavit vos ad regnum suum et gloriam. Ideo nos quoque semper gratias agimus deo, quod percipientes verbum dei a nobis prædicatum, accepistis non verbum hominum sed ut vere est verbum dei, qui etiam operatur in vobis fidem habentibus. Vos enim imitatores facti estis, fratres, ecclesiarum dei, quæ sunt in Judæa in Chr: Jesu, quod idem passi estis etiam vos a propriis tribulibus, ut etiam illi ab Judæis, qui etiam dominum Jesum interfecerunt et prophetas, nos persecuti sunt et deo placere non student, et omnibus hominibus adversi sunt, qui prohibent, quo minus alloquamur gentilibus, ut salvi fiant, ut impleantur semper peccata ipsorum, pervenit autem ira super illos usque ad finem.

Nos vero fratres ad temporis spatium a vobis segregati, facie non corde, vehementius intendimus, ut videamus faciem vestram in magna cupiditate. Quare voluimus venire ad vos ego Paulus semel et bis, Satan autem nos impedivit. Quæ enim nostra spes, aut lætitia aut corona gloriationis an non etiam vos coram domino nostro Jesu in adventu ejus.

## Cap III.

Quare non amplius sustinentes maluimus soli Athenis relinqui, et misimus Timotheum, fratrem nostrum et diaconum dei et cooperatorem nostrum in evangelio Christi, ut confirmaret vos et cohortaretur vos de fide vestra, ne quis concuteretur (turbaretur) hisce

afflictionibus (ipsi enim scitis, me ad hoc jacere. et cum apud vos fuimus essemus, prædiximus vos affligendos esse, ut etiam factum est et scitis, quare ego non amplius sustinens misi, qui cognosceret fidem vestram, ne forte tentasset vos tentator, et in vanum labor noster factus esset. Cum jam veniret T. ad nos a vobis lætum nuntium afferens de fide vestra et amore, et vos læte nos semper recordari, desiderantes nos videre, ut etiam nos vos. Inde consolationem accepimus de vobis, in omni afflictione et tribulatione ob fidem vestram. Quod nunc vivimus si vos consistitis in domino. Quam enim gratiarum actionem possumus deo retribuere super vos in omni gaudio, quo gaudemus ob vos coram deo nostro? die et nocte supra modum rogantes, ut videam faciem vestram, et impleam, quæ desunt fidei vestræ. Ipse deus et pater noster et dominus noster Jesus Chr: dirigat viam nostram ad vos. Vos vero dominus dites faciat et abundantes amore in vos invicem et in omnes, ut etiam nos in vos, ad firmanda corda vestra inculpata in sanctitate coram deo et patre nostro in adventu domini nostri Jesu Chr: cum omnibus sanctis ejus.

#### Cap. IV.

Ceterum fratres rogamus nos et cohortamur in domino Jesu, quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare et placere deo, ut magis abundetis. Scitis enim quæ præcepta dedimus vobis per dominum Jesum. Hæc enim est voluntas Dei sanctitas vestra, ut abstineatis a scorto, sciat suum quisque vas possidere in sanctitate et honore non in affectu libidinis, ut gentiles, qui non cognoverunt deum. Ne quis defraudet (nimii sitis) et circumveniat in negotio fratrem, quoniam deus est vindex omnium talium rerum, ut etiam antea diximus vobis et attestati sumus. Neque enim vocavit nos ad impuritatem sed in sanctitate. Qui igitur negligit non hominem negligit sed deum, qui etiam dedit spiritum suum sanctum super vos.

De vero amore fraterno non opus est nos scribere ad vos, ipsi enim edocti estis ad vos invicem amandos, atque facitis hoc adversus omnes fratres, qui sunt per totam Macedoniam. Cohortamur vos, ut magis abundetis, ut quietem colatis, res vestras agatis, et operetis propriis manibus, ut vobis præcepimus, ut ambulemini decenter ad externos, nequ[ue] ullius rei usum habeatis.

Nolo vero vos ignorare fratres de mortuis ne lugeatis, ut qui nullam spem habent. Si enim credimus Chr: mortuum esse et resurrexisse, ita etiam deus qui mortui sunt per Jesum, feret cum illo. Hoc enim vobis dicimus in verbo domini nos viventes, relictos superstites in adventum domini, non præventuros mortuis,. Ubi ipse dominus in voce archangeli, cum tuba dei descendet e coel[o], et qui mortui sunt in Chr: prius resurgent, deinde nos viventes superstites,

una cum illis rapiemur in nubibus ad obviam eundum domino in aerem, et ita semper cum domino erimus. Ita cohortamini vos invicem hisce verbis

#### Cap V.

De vero tempore et ratione temporis, fratres, non opus habemus ad vos scribere. Ipsi enim accurate scitis, diem domini, ut furem, nocte venire. Ubi dicant: pax et securitas, tum repentinus illis adstabit (superveniet) interitus, ut dolor parturientium gravidæ neque effugient. Vos vero fratres non estis in tenebris, ut dies illa vos ut fur comprehendat Omnes enim vos filii estis lucis et filii diei, non sumus noctis aut tenebrarum. Igitur ne dormiamus ut ceteri sed vigilemus et sobrii simus, qui enim dormiunt nocte dormiunt, et qui ebrii sunt nocte ebrii sunt. Nos vero, qui sumus diei vigilemus, induentes thoracem fidei et amoris, et galeam, spem salutis, quod non posuit nos deus ad iram sed ad comparationem salutis per dominum nostrum Chr:, qui mortuus est super nos, ut sive vigilemus sive dormiamus, cum illo vivamus Ideo cohortamini vos invicem et exstruite in unum ut etiam facitis.

Rogamus vos, ut agnoscatis eos, qui laborant in vobis et prosunt vobis in domino, et admonent vos, et habeatis illos supra modum in amore, propter opus ipsorum, pacem invicem habete. Cohortamur vos, fratres, admonete dissolutos, consolamini pusillanimos, suscipite infirmos, patientes estote erga omnes. Cavete ne quis malum pro malo cui retribuatur; sed semper in bonum intendite et invicem et adversus omnes. semper lætamini assidue preces fundite, in omni re gratias agite, hæc est enim voluntas dei in Xsto ad vos Spiritum ne exstinguatis, prophetias ne contemnatis, omnia explore bonum retinete, ab omni specie mali abstinete. Ipse deus pacis santificet vos totos, et integer vester spiritus, et anima et corpus inculcate in adventum domini nostri Jesu Chr. custodiat. Fidelis, qui vos vocavit, qui et faciet

Fratres rogate super nos. Salutate omnes fratres osculo sancto. Per deum vos obtestor, ut prælegatur epistola omnibus sanctis fratribus. Gratia domini nostri Jesu Chr: sit vobiscum

#### **CC:5**

2 Thess.

Paulus et Silanus et Timotheus ecclesiæ Thessalonicensium in deo patre nostro et domino Jes. Chr:. Gratia vobis et pax a deo patre nostro et domino Jesu Chr:.



Gratias agere deo semper debemus super vos frat[r]es, ut decet, quod fides vestra incrementum capit et augetur amor unius cujusque omnium vestrum invicem, ita ut nos ipsi in vobis gloriemur in omnibus ecclesiis dei ob patientiam vestram et fidem in omnibus persecutionibus[et] afflictionibus vestris, quas perfertis, indicium justi dei iudicii, ut digni vos habeamini regno dei, super quod etiam patimini. si quidem justum est coram deo retribuere vos affligentibus afflictum, et vobis afflictis relaxationem nobiscum, in revelatione domini Jesu de coelo, cum angelis potentiae ejus, in flama ignis, ultionem infligentis illis, qui non cognoverunt deum, et qui non obediverunt evangelio domini nostri Jesu Chr., qui poenas dabunt, interitum aeternum a facie domini et a gloria potentiae ejus ubi venit glorificandus in sanctis suis et admirationem moturus in omnibus credentib[us] (quia fides habita est testimonio nostro apud vos – illo die. Propterea quod etiam rogamus semper super vos, ut deus noster vos dignos reddat vocatione, et impleat omnem benignitatem bonitatis et opus fidei cum potentia, ut celebretur nomen domini nostri inter vos et vos in illo, secundum gratiam dei nostri et domini Jesu Chr:

## Cap. II.

Rogamus vero vos fratres ob praesentiam (adventum) domini nostri Jesu Chr., et nostrum introitum ad illum, ne citius vos commoveamini a mente, neve perturbemini, neque per spiritum neque per verbum, neque per epistolam quasi a nobis, quasi nunc instet dies domini. Ne quis vos decipiat ullo modo, quia, nisi prius venerit defectio, et apparuerit homo peccati, filius interitus, adversarius et extollens [se] super omne, quod dicitur deus aut numen, ut ille in templo dei ut deus sedeat, ostendens sese metipsum, quasi esset deus. Nonne recordamini me cum adhuc essem apud vos haec dixisse? Atque nunc, quid detineat, scitis donec appareat ille suo tempore. Mysterium enim injustitiae jam operatur, solum tenens modo donec e medio tollatur, et tum apparebit injustus, quem dominus Jesus exstinguet spiritu oris sui et finem faciet splendore praesentiae ejus – cujus est praesentia, secundum efficaciam Satanis, in omni vi et signis, et portentis mendacii, et in omni fraude injustitiae, in perditis, quod non ceperunt amorem veritatis, ut illi salvi fierent. Et ob hoc mittet illis deus efficaciam fraudis, ut credant illi mendacio, ut judicentur omnes fidem non habentes veritati et oblectati sunt injustitia. Nos vero debemus semper gratias agere deo super vos, fratres a domino dilecti, quod eripuit vos deus ab initio ad salutem in sanctitate spiritus et fide veritatis; ad quod vocavit vos per evangelium nostrum ad comparandam gloriam domini nostri Jesu Chr: Fratres igitur sistite et retenete traditiones, in quibus edocti estis, sive per verbum sive per epistolam nostram. Ipse vero dominus noster J X. et deus et pater noster, qui adamavit nos et dedit consolationem aeternam et spem bonam in gratia, consoletur corda vestra et

confirmet vos in omni bene dicto et bene facto.

### Cap. III

Ceterum, rogate fratres, de nobis, ut verbum domini currat (sine dubio per varias regiones propagetur) et celebretur, ut etiam apud vos, atque liberemur ab hominibus importunis et malis, neque enim omnium est fides. Fidelis vero est dominus, qui confirmabit vos et servabit a malo. persuasi vero sumus in domino vos, quæ vobis præcepimus, et facere et facturos. dominus vero dirigat corda vestra in amorem dei et in patientiam Xsti. Præcipimus vero vobis, fratres in nomine domini nostri Jesu Chr: ut avocetis vos ab omni fratre dissolute vivente, non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis. Ipsi enim scitis, quom[o]do oporteat vos nos imitari. Quod non inordinate egimus inter vos, neque gratuitum panem comedimus apud quemquam, sed in labore et opera die et nocte operantes, ut ne cui oneri essemus. Non quo non habeamus potestatem, sed ut nos metipsos præbeamus vobis typum ut nos imitemini. Nam cum essemus apud vos hoc vobis præcepimus, ut, si quis non vult laborare, idem ne comedat. Audimus enim nonnullos inter vos dissolute ambulantes, nihil operantes sed supervacaneum facientes. Talibus præcipimus, et cohortamur per dominum nostrum Jesum Chr:, ut quiete operantes, suum panem comedant. Vos vero fratres ne defatigemini bene agendo. Si quis vero non obediat verbo nostro per epistolam hunc significate, et ne commisceamini illi, ut pudore suffunda[tu]r, (pudefiat), et ne adversarium habeatis illum sed admoneatis ut fratrem. Ipse vero dominus pacis det pacem semper quovis loco, dominus cum vobis omnibus.

Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni epistola. ita scribo. Gratia domini nostri Jesu Chr: sit cum vobis omnibus

### **CC:6**

1 ad Timotheum.

### Cap.I.

PaulusapostolusJesuChr: secundum decretum dei salvatoris nostri et Chr. Jesu, spei nostræ, Timotheo genuino filio in fide. Gratia, misericordia, pax a deo patre nostro et Chr. J., domino nostro. Quemadmodum rogavi te, ut maneres Ephesi, in Macedoniam iter faciens, ut preciperes nonnullis, ne false docerent, neve animum adverterent mythis et genealogiis infinitis, quæ disquisitiones magis præbeant quam ædificationem dei, quæ est in fide. – Finis vero præcepti est amor ex puro corde et bona conscientia

[a] αστοχεω (ab αστοχος aberrans a scopo a στοχω) aberrare

et fides non simulata. Quorum nonnulli aberrantes<sup>[a]</sup> conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes, neque quæ dicunt, neque de quibus palam affirmant. scimus vero legem bonam esse, si quis ea legitime utatur, hoc sciens, justo legem non jacere, injustis vero et imorigeris, impiis et peccatoribus, irreligiosis et profanis, parricidis et matricidis homicidis, adulteris, cinaedis plagiaris, mendacibus, perjuris, et si quid aliud sanæ doctrinæ adversetur, secundum evangelium gloriæ beati dei, quod mihi concreditum est, et gratiam habeo, qui me potentem reddidit Christo Jesu Domino nostro, quod fidelem me habuit, constituens me ad ministerium, qui antea fuit maledictus et persequens, et superbus, sed veniam adeptus sum, quod insciens feci in incredulitate, superabundavit gratia domini nostri cum fide et dilectione amore, quæ est in Xst Je. Fidele est verbum et dignum omnino, quod accipiatur, Chr: venisse in mundum, ut peccatores servaret, quorum primus ego sum. Sed ideo veniam accepi, ut in me primo ostenderet Jesus Chr: omnem misericordiam exemplar eorum, qui post me fidem habituri sunt ei in vitam æternam. Regi vero sæculorum, immortalis, invisibili soli deo honor et gloria in secula seculorum Amen. Hoc præceptum propono tibi, fili Timothe[e], secundum prophetias super te præcedentes, ut in illis bonam pugnam pugnes, habens fidem et bonam conscientiam, quam nulli repudiantes, de fide naufragium fecere, quorum sunt Hymeneus et Alexander, quos tradidi Satanæ, ut discant non maledicere

## Cap. II

cohortor igitur primum omnium, ut faciatis deprecationes – preces – supplicationes, gratiarum actiones pro regibus et omnibus qui altiori loco positi sunt, ut vitam quietam et tranquillam degamus in omni pietate et honestate. Hoc enim est bonum et acceptum coram salvatore nostro deo, qui vult omnes homines salvos fieri et ad cognitionem veritatis pervenire, unus est enim deus, unus etiam mediator dei et hominum, homo Xst. Jes., qui dedit se metipsum redemptionem super omnes; testimonium suis temporibus, ad quod ego positus sum præco et apostolus (veritatem dico non mentior) doctor gentilium in fide et veritate. Volo igitur orare homines quovis loco tollentes sanctas manus sine ira et disceptatione Ita etiam mulieres in vestitu modesto cum verecundia et moderatione sese ornent non tortis crinibus, aut auro, aut margaritis aut vestitu pretioso, sed ut oportet mulieres profitentes pietatem per bona opera. Mulier quiete discat in omni submissione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominium exercere<sup>[b]</sup> in virum sed esse in quiete. Prior enim Adam creatus est, deinde Eva. Neque Adam deceptus est, mulier vero decepta, transgressionis rea facta est. Servabitur vero per procreationem liberorum, si manserint in fide et amore et puritate cum temperantia.

[b] αὐθεντεω (ex αὐθεντης pro αυτοεντης ex αὐτος et εντεα armatura, instrumentum,) qui ipse instrumento utitur qui ipse sibi manum infert apud seriores impero alicui, dominium exerceo

### Cap. III

Fidele est verbum, si quis episcopatum appetat, præclarum opus desiderat. Oportet igitur episcopum esse inculpatum, unius uxoris maritum, sobrium, moderantem, honestum, hospitem, aptum ad docendum, non vinolentum, non furacem, non turpis lucri cupidum, sed æquum, a pugna alienum, non avarum; qui domui suæ bene præsit, qui filios habeat in subjectione cum omni honestate Si quis domui suæ præesse nesciat, quomodo ecclesia dei ei curæ erit? non novitium, ne occoecatus in iudicium cadat diaboli. Oportet etiam illum bonum testimonium habere ab extraneis ne in opprobrium incidat et laqueum diaboli. Diaconos eodem modo honestos (graves) non bilingues, non vino multo deditos, non lucri turpis studiosos, habentes mysterium fidei in pura conscientia, et ita primum examinentur, deinde ministerio fungantur, irreprehensibiles[,] item mulieres honestas, non calumniatrices, sobrias fideles in omnibus. Diaconi sint unius uxoris mariti, liberis bene præsent et domibus suis. Qui enim bene ministerio fungantur, bonum gradum sibi comparant, et magnam libertatem, quæ est in Xst Jesu

Hoc tibi scribo sperans ad te mox venire, si vero morer, ut scias quomodo oporteat in domo dei versari, quæ est ecclesia Dei. Columna et fundamentum veritatis et revera magnum est pietatis mysterium: deus apparuit in carne, justificatus est in spiritu, visus est ab angelis, prædicatus est inter gentes, fidem obtinuit in mundo, receptus est in gloria

### Cap IV.

Spiritus autem clare dicit, ultimis temporibus nonnullos a fide defecturos, attendentes spiritibus impostoribus et doctrinis dæmonum, in hypocrisi falsorum doctorum, cauterio notatam habentes propriam conscientiam, prohibentes matrimonia contrahere, abstinere cibis, quæ deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus et qui cognoverunt veritatem. Nam omnis creatura bona, nec ullum rejiciendum acceptum cum gratiarum actione, santificatur enim per verbum Dei et supplicationem. Hæc proponens fratribus bonus eris diaconus J.X.: innutritus verbis fidei, et bonæ doctrinæ, in qua ingressus est, profanas vero et ineptas fabulas evita Exerce te metipsum ad pietatem. Exercitio enim corporea ad nihil est utilis, pietas vero ad omnia utilis est, habens promissionem hujus vitæ et futuræ. Fidele est verbum et omnino quod accipiatur dignum, ad hoc enim operamus, et opprobri]o afficimur quod fidem habuimus deo viventi, qui est servator omnium hominum, maxime

credentium. Hoc præcipe et doce

Ne quis te ob juventutem despiciat, sed sis exemplar fidelium in verbo, in vivendi ratione, in spiritu, in fide, in sanctitate. Usque dum venero incumbere in lectionem, consolationem et doctrinam. Ne negligas donum in te, quod tibi datum est per prophetias cum ma[n]uum impositione presbyterii. Hæc cura in his esto. Attende tibi ipsi et doctrinæ, permane in his, hoc enim faciens servabis te ipsum et qui te audiunt.

Cap. V.

Presbyterem ne objurges sed cohortare ut patrem, juniores ut fratres, mulieres seniores ut matres, juniores ut sorores in omni sanctitate. Viduas honorare vera scilicet viduas. Si vero quæ vidua liberos habeat vel nepotes, discant illi primum propriam domum pietate prosequi et remunerationem tribuere majoribus hoc enim acceptum coram deo. Re vera autem vidua et desolata fidem habuit deo et vacat orationibus et precibus die nocteque, luxuriose autem vivens viva mortua est. Hoc præcipe ut sint irreprehensibiles. Si vero quis suis et maxime familiaribus non providet, fidem denegavit ille et est infideli deterior. Vidua eligatur non minus sexaginta annos nata, unius viri uxor, in bonis operibus testimonium habens, si liberos educavit, si hospitalis fuit, si sanctorum pedes lavit, si afflictis subministravit, si in omni bono opere ingressa est. Juniores vero viduas evita ubi enim luxuriose vixerint in dominum Chr., nubere volunt, habentes crimen, quod priorem fidem neglexerint, simul etiam otiosæ discunt peragrarare domus (circuire), non solum otiosæ sed etiam futiles et curiosæ, loquentes, quæ non oportet. Volo igitur juniores nubere, liberos procreare, domui præesse, nullam ansam præbere adversario ob criminationem. Jam enim nonnulli conversi sunt post Satanam, Quodsi quis aut si quæ fidelis viduas habet, provideat illis et ne oneri sit ecclesiæ, ut re vera viduis occurrat. Presbyteri, qui bene præesunt, duplici honore digni habeantur, maxime vero operantes in verbo et doctrina[.] dicit enim scriptura bovem tr[i]turantem non obturabis, et dignus est operator præmio suo. Adversus presbyterum accusationem non accipe nisi duobus vel tribus testibus. Qui peccaverint, coram omnibus reprehende, ut etiam ceteri metum habeant. Obtestor coram deo et Xsto Jes. et electis angelis, ut hæc observes sine præjudicio, nihil faciens in hanc vel illam partem inclinans. Manus cito ne cui imponas, neque particeps fias peccatorum alienorum. Serva te ipsum sanctum, nequam bibas sed vino paululo utere propter stomachum et crebras tuas infirmitates. Nonnullorum hominum peccata antea aperta sunt, festinantia (ducentia) in iudicium, in quibusdam prosequuntur[.] ita etiam bona opera antea aperta sunt, et quæ secus habent latere nequeunt.

Cap. VI.

Quotquot sunt sub jugo servi suos proprios dominos  
omni honore dignos habeant, ne nomen dei et  
doctrina blasphemetur. Qui vero habent fideles  
dominos ne negligant propterea quod fratres sunt, sed  
magis serviant, quod fideles sunt et dilecti et  
beneficientiæ participes Hoc doce et præcipe.

Si vero quis aliter docet neque amplectitur (accedit  
ad) sana verba domini nostri Jesu Chr: et doctrinam,  
quæ ducit ad pietatem, occoecatus est nihil  
intelligens, sed ægrotans de quæstionibus et pugnis  
verborum, unde oritur invidia, controversia,  
maledictiones, cogitationes malæ, supervacuæ  
conflictationes hominum mente perditorum, qui  
veritate privati sunt, statuentes, pietatem esse  
quæstum, abstinere a talibus (sejunge te) Est autem  
pietas magnus quæstus cum animo contento. Nihil  
enim in mundum tulimus. Apertum igitur est, nos nihil  
educere posse, habentes autem alimenta et tegmina  
contenti erimus, qui vero divites esse volunt incidunt  
illi in tentationem et laqueum, et cupiditates multas  
incognitas et noxias, quæ demergunt homines in  
interitum et exitium. Nam avaritia est radix omnium  
malorum. quam nonnulli ap[er]etentes aberrarunt a  
fide et sese metipsos perfoderunt multis doloribus. Tu  
vero homo dei hæc fuge incumbere vero in justitiam,  
pietatem, fidem, amorem patient[iam],  
benignitate[m], pugna bonam pugnam fidei,  
apprehende vitam æternam, ad quam vocatus es,  
profitens bonam professionem coram multis testibus.  
Præcipio tibi coram deo omnia vivificanti et Xsto Jesu  
testimonium edenti apud P. P. bonam confessionem,  
ut serves hanc epistolam immaculatam,  
irreprehensibilem usque ad apparitionem domini  
nostri Jesu Chr:, quam suis temporibus ostendet  
beatus et unus despota rex regum, et dominus  
dominorum, qui solus habet immortalitatem, lumine  
habitans, ad quod aditus non est, quem nemo  
hominum vidit, neque videre potest, cui gloria et  
potentia æterna Amen.

divitibus in hoc mundo præcipi[as], ne efferantur,  
neve sperent in divitiarum incertitudine sed in deo  
vivente, qui præbet nobis omnia diviter ad usum.,  
bene agere, divites esse in bonis operibus, faciles ad  
largiendum, communicantes, cumulantes sibi  
thesaurum bonum in futurum, ut accipiant vitam  
revera sic dictam.

O Timothee observa foedus fugiens profanum  
vaniloquium oppositiones falso nominatæ scientiæ  
quam nonnulli professi aberrarunt Gratia tecum.

**CC:7**

2 ad Timoth:

## Cap. I

Paulus apostolus Jesu Chr: secundum voluntatem dei secundum promissionem vitæ, quæ est in Chr: J:, Timotheo, dilecto filio. Gratia, misericordia, pax a deo patre nostro et Chr: Jesu domino nostro

Gratias ago deo cui servio a majoribus in bona conscientia (quomodo assiduam habeo tui memoriam in precationibus meis die nocteque desiderans te videre, recordatus lacrymas tuas, ut lætitia implear, memoria repetens fidei tuæ non simulatæ, quæ primum habitavit in mamma tua Loide et in matre tua Eunice, et persuasus sum etiam in te. Quare commoneo te, ut resuscites donum dei, quod est in te ob impositionem manuum mearum neque enim dedit deus nobis spiritum timiditatis sed potentiæ et amoris et sobrietatis; ne igitur te pudeat martyrii domini nostri, neque mei, qui vinctus sum ipsius, sed dolores subi una cum evangelio secundum vim dei, qui eripuit nos et vocavit vocatione sancta, non secundum opera nostra sed secundum propositum suum et gratiam nobis in Chr: Jesu datam ante tempora saecularia, nunc apertam per apparitionem salvatoris nostri J. X., qui destruxit mortem, illuminavit autem vitam et immortalitatem per evangelium, ad quod ego constitutus sum præco, et apostolus et doctor gentilium. Quam ob causam etiam hoc patior sed non animum despondeo, scio enim, cui fidem habui, et persuasus sum, eum posse depositum meum servare in illum diem usque. Formam habe sanorum verborum, quæ a me audivisti, in fide et dilectione, quæ est in X. J. bonum depositum serva per sp. s., qui inhabitat in nobis Scis hoc, omnes, qui sunt in Asia, me deseruisse, quorum sunt Phygelles et Hermogenes. Misericordiam præstet deus domui O., quod sæpe me recreavit neque eum vinculorum meorum puduit, sed cum esset Romæ, diligentius me quæsivit et invenit[.] det illi dominus invenire gratiam apud dominum illo die. et quot mihi Ephesi adm[ini]straverit, accuratius tu nosti.

## Cap. II

Tu igitur, fili mi, fortis esto in gratia, quæ est in Chr: J. Et quæ a me audisti per multos testes hoc propone fidelibus hominibus, qui apti erunt ad alios docendos. Tu igitur mala perfer ut bonus milites J. Chr: Nemo pugnans implicatur<sup>[a]</sup> vitæ negotiis, ut duci placeat. Si vero etiam quis pugnet, non coronatur, nisi legitime pugnaverit. Agricola operantem demum primum oportet fructus percipere. Intellige, quæ dico, det enim tibi facultatem omnia intelligendi. Recordare Jesum Chr: resuscitatum ex mortuis, ex semine Davidis secundum evangelium meum. in quo malis affligor ad vincula usque ut maleficus, sed verbum dei non est vinctum. Ideo omnia perfero ob electos ut etiam illi participes fiant salutis, quæ est in Chr: J, cum gloria æterna. Fidele est verbum, si enim una mortui sumus,

[a] εμπλεκω (ex ev et πλεχω plico) implico.

etiam una vivemus, si permanemus etiam una regnabimus, si negamus, ille etiam nos negabit, si increduli sumus ille fidelis, neque enim potest non sibi ipsi constare (negare se ipsum.). Inculca hæc, attestans coram deo, ne verbis pugnent, ad nihil utile, ad subversionem audientium. Operam da, ut te ipsum præbeas deo exploratum (probatum) operatorem non erubescens, recte secantem verbum veritatis. Profana vero vaniloquia vita, magis enim provocant impietatem, et verbum eorum gan[g]raenæ instar pastionem habebit (ulterius progredietur), quorum sunt Hymeneus et Philetus, qui de [veritate] aberrarunt, dicentes resurrectionem jam factam esse, et pervertunt nonnullorum fidem. Firmum tamen fundamentum dei stat, hoc sigillum habens »Cognovit Dominus, qui sunt ejus« et »decedat ab injuria quicumque invocat nomen domini« In magna vero domo non solum sunt instrumenta aurea et argentea, sed etiam lignea et fictilia et nonnulla in honorem alia ad in contumeliam. Si igitur quis se expurgaverit ab his, erit vas in honorem, sanctum, utile domino, ad omne bene factum paratum. Juveniles cupiditates fuge, sequere autem justitiam, fidem, amorem, pacem cum iis, qui in puro corde invocant dominum, vanas vero et insipientes disquisitiones fuge, sciens, eas certamina procreare, Servum domini [non] oportet pugnare, sed benignum adversus omnes, ad docendum aptum tolerantem malum, in benignitate instituens adversarios, si forte det deus illis recipi scientiam ad veritatem cognoscendam, ut expediant se ex laqueis diaboli, a quo capti tenentur ad ipsius voluntatem -

### Cap. III

Hoc cognosce ultimis temporibus instatura tempora difficilia. Erunt enim homines sui amantes, avari, arrogantes, superbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati, impii, immisericordes, implacabiles, calumniatores, immoderati, immites, bonorum inimici, traditores, temerarii, magis libidinem quam deum amantes, habentes speciem pietatis, vim vero negantes[,] et hos fuge. Ex illis enim sunt, qui penetrant in domus et captivas ducunt mulierculas peccatis obrutas, variis cupiditatibus vexatas; semper discentes nunquam ad cognitionem veritatis pervenire possunt. Quomodo Jannes et Jambres restiterunt Mosi, ita hi resistunt veritati, homines mente corrupti, reprobis circa fidem Non tamen longe proficient, nam temeritas ipsorum aperta est, ut etiam illorum facta est. Tu autem secutus es me doctrina, institutione, proposito, fide, tolerantia, amore, patientia, persecutionibus afflictionibus, quales mihi evenerunt Antiochiæ, Iconio, Lystris. Tales persecutiones sustinui et ex omnibus me eripuit dominus. Et omnes qui volunt pie vivere in Chr., persecutiones subibunt. Mali homines vero et deceptores proficient in malum, decipientes et decepti. Tu vero mane in illis, quæ didicisti - sciens, a quo didiceris, teque a pueritia sacras litteras novisse, quæ possunt te sapientem reddere ad salutem per fidem, quæ est in Chr.:. Omnis



scriptura est divinitus inspirata et utilis ad doctrinam,  
ad refutationem, ad correctionem ad institutionem in  
justitia ut sit ille dei homo perfectus ad omne bonum  
opus instructus

Cap. IV.

Attestor igitur coram deo et domino nostro Jesu Chr.,  
qui judicaturus est vivos et mortuos secundum  
apparitionem suam et regnum suum, prædica  
verbum, insta tempestive et intempestive, refuta,  
objurga cohortare in omni patientia et doctrina. Erit  
enim tempus, quo sanam doctrinam non sustinebunt,  
sed secundum suas cupiditates cumulabunt doctores,  
quoniam aures illis pruriunt<sup>[b]</sup> et a veritate auditum  
amovebunt et ad fabulas sese convertent. Tu vero in  
omnibus vigila mala patere, opus fac evangelistæ,  
munus tuum perface. Ego enim jam exhaurior et  
tempus abitus mei instat. Bonam pugnam pugnavi,  
cursum perfacei, fidem servavi. Ceterum manet mihi  
justitiæ corona, quam dabit mihi dominus illo die,  
justus judex, non solum mihi, sed etiam omnibus, qui  
amaverunt apparitionem ejus.

[b] κνηθω (s. κναω, ησω) scalpo frico titillo –  
κνηθομαι p[er]uritu laboro

Festina ad me venire. Demas enim me reliquit, amans  
hoc sæculum, et profectus est T. K. in G. T. in D. Lucas  
solus est mecum, Marcum assume, ut tecum adducas,  
est enim mihi ad ministerium utilis Tychicum misi  
Ephesum. Paenulam, quam Troade reliqui apud  
Carpum veniens adfer, et libros, maxime membranas.  
Alexander faber multa mihi mala attulit, det illi  
dominus pro operibus ejus., quem etiam tu observa,  
multum enim restitit nostris verbis. In prima  
defensione nemo mecum apparuit (nemo mihi affuit)  
sed omnes me deseruerunt (ne illis imputetur).  
Dominus vero adfuit mihi, et corroboravit me, ut per  
me præconium (confirmeretur) perficeretur. et  
audirent omnes gentiles, atque ereptus sum ex ore  
leonis, et eripiet me deus ex omni male facto, et  
servabit in regnum suum coeleste, cui gloria in  
saecula saeculorum. Saluta P. et A. et domum O. E.  
mansit K. T. reliqui Mileti ægrotum. Festina ad me  
ante hiemem venire. Salutatur te E. et P. A. et K.  
Domi[nus] J. Chr. cum sp. t: Gratia vobiscum

**CC:8**

Ep: ad Titum.

P. servus dei, apostolus J.X. (secundum fidem  
electorum et cognitionem veritatis, quæ ad pietatem  
ducit, in spe vitæ æternæ, quam nuntiavit deus verax  
ante tempora sæcularia et ostendit suis temporibus  
verbum suum, in præconio, quod mihi concreditum  
est secundum ordinationem salvatoris nostri dei.v. 3)  
Tito genuino filio secundum communem fidem. Gratia

et pax a deo patre et domino nostro Jesu Chr.  
servatore nostro v. 4

Ideo te in Creta reliqui ut, quæ deerant, (reliqua a me relicta) ordinares (ordines) et constitueres per urbem presbyteros, ut ego tibi præcepi. Si quis est inculpatus, unius uxoris vir, habens liberos fideles, non in accusatione lasciviæ (non infames ob lasciviam) aut immorigeros. Oportet enim episcopum esse inculpatum, ut dei ministrum, non arrogantem, non iracundum, non vinolentum, non furacem, non turpis lucri studiosum, sed hospitalem, bonorum amicum, temperantem, justum, sanctum, moderatum, amplectentem tenacem verbum secundum doctrinam fidele, ut possit et cohortari doctrina sana, et refutare contradicentes. Sunt enim multi inobedientes vana loquentes et mentem decipientes, maxime ex circumcissione, quibus oportet silentium imponere (quos oportet obmutescere facere) Qui totas domus pervertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri causa. Dixit quis propheta proprius eorum: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Testimonium hoc est verum, ideo refuta illos acriter, ut sanentur in fide, non attendentes fabulis Judaicis, et præceptis hominum, pervertentium veritatem. Omnia pura sunt puris; inquinatis vero et infidelibus nil purum sed inquinata est eorum et mens et conscientia. Deum profitentur se cognoscere, abnegant vero eum operibus, cum sint detestabiles et ad omne bene factum reprobii. –

## Cap. II

Tu vero loquere quæ decent sanæ doctrinæ, senes sobrios esse, honestos, temperantes, sanos fide, amore, patientia, anus similiter, in vestitu honestas (vestitus pium decens) non calumniatrices, non vino multo laborantes, boni magistras, ut juniores temperantiam doceant, ut sint illæ maritos amantes et liberos, temperantes sanctæ, domi assiduæ bonæ, obedientes suis maritis, ne verbum dei blasphemetur. Juniores item sapere jube, super omnia te præbens exemplar bonorum operum in doctrina sanitatem, gravitatem verbum sanum, quod accusari nequeat, ut adversarius pudefiat, nil pravi habens, quod de nobis dicat. Servi suis dominis obediant, in omnibus placere studentes, non contra dicentes, non defraudantes, sed ostendentes omnem bonam fidem, ut doctrinam salvatoris nostri deiv. 10 honorent in omnibus. Apparuit enim gratia dei salutaris omnibus hominibus, instituens nos, ut abnegantes impietatem et mundanas cupiditates, temperanter, et juste et pie vivamus in hoc mundo, exspectantes beatam spem, et apparitionem gloriæ magni dei et salvatoris nostri Jesu Chrv. 13. qui dedit sese metipsum super nos ut redimeret nos ab omni injustitia et purificaret sibi populum peculiarem, bonorum operum studiosum. Hæc loquere et cohortare et argue cum omni auctoritate Ne quis te despiciat.

### Cap III

Commune illis, ut subjiciant se principatibus et potestatibus, utobediant, ut ad omne bene factum parati sint, ne cui maledicant, sint mites, faciles, omnem ostendant benignitatem adversus omnes homines. Eramus enim nos quoque aliquando inepti, immorigeri, vagantes, servientes variis cupiditatibus, in malitia et invidia ambulantes, abominandi, invicem odio prosequentes. Cum vero bonitas appareret et in homines amor servatoris nostri deiv. 4. non ex operibus, quæ sunt in justitia, quæ nos fecimus, sed secundum misericordiam suam servavit nos per lavacrum regenerationis, et renovationis sp. s., quem effudit super nos diviter, per JesumChr: servatorem nostrumv. 6, ut justificati gratia ejus hæredes fieremur secundum spem vitæ æternæ. Fidele est verbum, et volam ut quam maxime inculces, ut curent in bona opera incumbere qui fidem habeant deo. Hæc sunt bona et utilia hominibus. Vanas vero disquisitiones et genealogias et lites et controversias legales vita[,] sunt enim inutiles et vanæ. Hæreticum hominem post primam vel secundam admonitionem evita, sciens, talem eversum esse et peccare, a se ipso condemnatum.

Ubi misero Artemamv.Tychicum festina venire ad me Nicopolin. Ibi enim constitui hiemare. Senam legisperitum et Apollon studiose deduc, ne quid eis desit. Discant etiam vestri bonis operibus operam dare ad usus necessarios, ut ne sint sine fructu. Salutant te omnes qui sunt mecum. Saluta amantes vos in fide. Gratia vobiscum omnibus

**CC:9**

### Ad Philemonem

Paulus vincus Xst. J. et Timotheus frater Philemoni dilecto et cooperatori nostro, et Aphiæ dilectæ et Archippo, commilitoni nostro et ecclesiæ quæ est in domo tua. Gratia vobis et pax a deo patre nostro et domino J. X.

Gratias ago semper deo meo, memoriam tui faciens in precibus meis, audiens dilectionem amorem tuam et fidem, quam habes adversus dominum Jesum et adversus omnes sanctos. Quomodo communicatio tua fidei efficax sit in cognitione omnis boni, quod est in nobis in Xst. J. Magnam enim habemus lætitiā et consolationem amore tuo, quod viscera sanctorum recreata sunt per te, frater. Quare, quamvis magnam habeam tibi imperandi, quod oportet, in Chr: Jes. libertatem, ob amorem magis cohortor (rogo) cum talis sim, nempe Paulus senex et nunc etiam vincus J. X., rogo te de filio meo, quem genui in vinculis meis,

Onesimo, antea tibi inutili nunc et tibi et mihi utili, quem remisisti. Tu vero illum habes: e: viscera mea amplectere. Quem ego volui apud me retinere, ut pro te mihi minister in vinculis evangelii. sine vero sententia tua nihil facere volui, ut ne quasi secundum necessitatem bonum tuum sit sed secundum libertatem. Fortasse enim ob hoc separatus est ad tempus, ut in æternum eum retineres, non ut servum, sed magis quam servum, fratrem dilectum maxime mihi, quanto magis tibi et in carne et in domino. Si igitur me amicum habes suscipe eum ut me, si qua in re te laesit, aut quicquid debet, id mihi imputa. Ego P. scripsi mea manu, ego restituam, ne dicam tibi te ipsum te mihi debere. Certe frater, velim a te juvari in domino, recrea viscera mea in Christo. persuasus de obedientia tua hoc scripsi, sciens te quoque facturum esse, de quo loquor. Simul etiam pro mihi hospitium, spero enim fore ut ob vestras preces vobis doner. Salutatur te Epaphras, commilito meus in Christo.

### **CC:10**

#### Ep. ad Hebræos.

#### Cap I

Multifariam et multis modis olim deus locutus est patribus per prophetas, ultimis vero diebus hisce allocutus est nobis in filio, quem hæredem omnium constituit, per quem etiam tempora constituit qui – quum esset imago (splendor) gloriæ (dei) perfectissima et character substantiæ ejus, portans omnia verbo potentiæ ejus – per se ipsum sanctificatione peccatorum nostrorum instituta, consedit ad dextram majestatis in coelo; tanto præstantior factus angelis, quanto præ illis excellentius hæreditavit nomen. Cui enim angelorum quondam dixit, »filius meus es, hodie te genui« et rursus »ego ero tibi in patrem, et ille erit mihi in filium« Ubi vero rursus introduxerit primogenitum in mundum, dicit: »et adorent eum omnes angeli dei.« et ad angelos dicit »qui facit angelos suos spiritus, et ministros ignis flamam«; ad filium vero: thronus tuus, o deus, in sæculum sæculi; baculus rectus est baculus regni tui. Amavisti justitiam et odisti injustitiam, ideo unxit te deus, deus tuus unguento oleo lætitiæ præ illis, qui sunt fiunt tecum participes« Et »Tu domine ab initio terram fundasti, facta manuum tuarum sunt coela[.] illa peribunt, tu vero permanes, et omnia ut vestimentum inveterascent, et ut amictum volves illa, et commutabuntur, tu autem es, neque te anni relinquunt.« Ad quem vero Angelorum dixit aliquando sede ad dextram meam, usque dum posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum« Nonne omnes sunt spiritus ministrantes in ministerium emissi ob illos, qui salutem hæreditate accepturi sunt. –

## Cap. II

Ideo oportet nos studiosius attendere auditis, ne forte excidamus<sup>[a]</sup> (salute promissa). Si enim verbum per angelos nuntiatum ratum factum est, et omnis transgressio et inobedientia accepit justam repensionem mercedis; quomodo nos effugiemus, tali neglecta salute? quæ ab initio ab ipso domino nuntiata (quæ cum initiocoepisset enarari per D.), ab audientibus ad nos confirmata est, simul attestante deo signis et portentis et prodigiis variis, et sp. s. distributionibus secundum voluntatem suam. Neque enim angelis mundum futurum, de quo loquimur subjecit. Testatus est quis quondam his verbis: Quid est homo, quod recordaris illum, aut quid filius hominis, quod despicias (visitas) illum, inferiorem eum quid fecisti post angelos, gloria et honore eum coronasti (et præficiens eum super facta manuum tuarum) omnia subjecisti sub pedibus ejus. In enim subjiciendo ei omnia, nihil reliquit ei non subjectum. Nunc vero minime videmus ei omnia subjecta - illum vero parum angelis inferiorem factum videmus Jesum, per passionem mortis gloria et honore coronatum, ut gratia dei super omnem gustaret mortem[.] decuit enim illum, ob quem omnia et per quem omnia, multos filios in gloriam ducentem, ducem salutis nostræ per afflictiones passiones consum[m]are (perfectum facere servatorem) Nam sanctificans et santificati ex uno omnes; ideo eum non pudet vocare illos fratres dicens: »nuntiabo nomen tuum fratribus meis in media ecclesia canam te« et rursus »ego ero confidens in illo« et rursus: »ecce ego et filii, quos mihi dedit deus.« Cum igitur filios participes faceret carne et sanguine, et ipse proxime particeps fuit illorum, ut per mortem aboleret illum, qui habet [hab]uit vim mortis, id est diabolum; et liberaret illos, quotquot metu mortis per totam vitam participes erant servitutis. Neque enim omnino angelos amplectitur sed semen Davidis. Unde oportuit eum fratribus similem esse in omnibus, ut misericors esset et fidelis pontifex in iis, quæ sunt erga Deum, ut expiaret peccata populi. ex quo - quoniam (In quo) enim ipse, tentatus perpressus est, potest tentatis succurere

[a] παραγω (quod tempora deducit ex formis inusitatis παραγωα, et παραγωεω.)

## Cap. III

Unde fratres mihi dilecti, vocationis co[e]lestis participes, observate apostolum et pontificem confessionis nostræ Jesum; qui fidelis ei fuit, qui eum constituit (creavit) ut etiam Moses in tota domo ejus. Majore enim ille gloria præ Mose dignus habitus est, quo majorem habet honorem domus, qui paravit illam (Omnis enim domus ab aliquo paratur, omnia vero parans est deus.) Et Moses quidem fidelis fuit in tota domo, ut minister, ad testimonium dicendorum; Chr: vero ut filius super domum suam. Cujus domus nos sumus, si (libertatem) fiduciam et gloriationem fidei ad finem usque habeamus. Quare ut dicit sp. s. »hodie, si vocem ejus a[u]diatis, ne obduretis corda

vestra ut in exacerbatione, post diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri; explorarunt me et viderunt facta mea quadraginta annos. Quare ira incensus sum adversus hanc generationem et dixi: semper vagantur corde. Ipsi vero non cognoverunt vias meas. Ita juravi pro ira mea: si ingressuri sint in requiem meam. Videte fratres, ne insit cui vestrum cor pravum incredulitatis, ut deficiat a deo vivente. Sed cohortamini vos invicem quotidie, quamdiu hodie dicitur, ne obduretur quis vestrum fraude peccati (omnes enim participes facti sumus Chr.; si fundamentum, quo initium fecimus ad finem usque firmum retineamus) in hoc quod dicitur »hodie si vocem ejus audieritis, ne obduretis corda vestra ut in exacerbatione«. Nonnulli enim audientes exacerbaverunt sed nonne omnes qui exierunt ex Ægypto per M.; quibus vero infensus fuit quadraginta annos nonne qui peccaverunt quorum ossa ceciderunt in deserto? Quos vero juravit non introituros in quietem suam nisi immorigeros? Atque videmus eos introire non posse ob incredulitatem.

#### Cap IV.

Metuamus igitur ne[,] relicta promissione introeundi in quietem ejus, qui reliquus factus esse videatur. Nam nos sumus evangelium adepti ut etiam illi, sed non profuit verbum auditum illis, cum non esset conjunctum cum fide in mente audientium. Introimus enim in requiem fidem habentes, ut dixit: ita juravi in ira mea, si introituri sint [introi]bunt illi in requiem meam, quamvis opera ante creationem mundi facta[.] dixit enim alicubi sic de die septimo: et requievit d. die septimo ab omnibus operibus suis, et in hoc loco rursus »si introibunt in requiem meam«. Quoniam igitur relinquitur nonnullis introire in illam et qui antea evangelium adepti sunt non introierunt ob inobedientiam. Rursus quem constituit diem Hodie, in Davide dicens, post tantum temporis spatium ut dictum est: hodie, si vocem meam audieritis, ne obduretis corda vestra. Si enim illos Jes. ad quietem duxit non de alio loquitur postea die. Igitur relictus est sabbatismus populo dei. Qui enim introivit in quietem ejus, et ille quievit ab operibus suis ut a suis deus. Festinemus igitur intrare in illam requiem, ne quis in eodem exemplo [cadat] inobedientiæ. Vivum est enim verbum dei, et efficax et – penetrantius quam omnis gladius anceps et intrans ad d[i]visionem usque animæ et corporis et pervestigans cogitationes et intentiones cordis, neque est ulla creatura invisibilis coram illo, contra omnia sunt nuda et resupinata oculis ejus, de quo sermo noster.

Cum igitur habeamus pontificem magnum qui coelos ingressus est, Jesum filium dei, retineamus confessiones Neque enim habemus pontificem, qui non possit consentire imbecillitati nostr[æ], tentatum in omnibus rebus ad similitudinem sine peccato. Accedamus igitur fiducia ad thronum gratiæ, ut accipiamus misericordiam, ut inveniamus gratiam in

auxilium tempestivum.

#### Cap. V.

Omnis enim pontifex ex hominibus captus super homines proficitur rebus divinis ut proferat dona et victimas super peccata, qui potest ex parte pati cum inscientibus et errantibus, quoniam ipse undique premitur infirmitate, et ob eam oportet ut pro populo ita pro se ipso offerre pro peccatis. Neque sibi quis capit honorem sed vocatus a deo ut etiam Aron. Ita etiam Chr: non sese ipsum extulit pontificem sed qui locutus est ad eum »Tu es filius meus, hodie te creavi« ut etiam alio loco dicit »Tu es pontifex in æternum secundum ordinem Melchisedeci«. Qui in diebus carnis ipsius – preces et supplicationes ad illum, qui eum ex morte potuit servare cum clamore magno et lacrimis proferens, exauditus ex timore – quamvis esset filius dei, didicit ex illis, quæ passus est obedientiam et perfectus factus est omnibus ei obedientibus auctor (causa) æternæ salutis, declaratus a deo pontifex secundum ordinem Melchisedeci.

De quo nobis est copiosus sermo et interpretatu difficilis, quoniam segnes facti estis auribus, et qui debetis esse doctores ob tempus, rursus opus habetis, ut quis vos doceat, quæ sunt principia initii verborum dei et facti estis indigentes lacte, non solido cibo. Quicumque enim fruitur lacte imperitus verbi justitiæ infans enim est. Perfectorum vero est solidus cibus, habentium, ex usu, sensus exercitatos ad distinctionem boni et mali.

#### Cap. VI

Quare relicto se[r]mone de principio X. feramur ad perfectionem, ne rursus fundamentum jacentes conversionis a mortuis factis, et fidei in deum, doctrinæ baptismatum, impositionis manuum, resurrectionis mortuorum, et iudicii æterni. Etiam hoc faciemus [si] deus permiserit, impossibile enim est, qui semel illuminati fuerunt, gustaveruntque donum coeleste et participes facti sp. s., et bonum dei verbum gustaverunt, et vires sæculi futuri – deficientes rursus revocare ad (renovari in) resipiscentiam, cruci affigentes sibi filium dei et ignominie exponentes. Terra enim bibens pluviam sæpe super se descendente et proferens herbam utilem illis, ob quos etiam colitur, particeps fit benedictionis divinæ, proferens vero spinas et tribolos, reprobata et condemnationi prope, cujus finis est ad combustionem – Persuasi vero sumus de vobis, dilecti, meliora et quæ habent salutem, tametsi ita loquimur. Neque enim injustus est deus, qui

obliviscatur factum vestrum, et amorem, quem ostendistis in nomen ejus, cum administravistis et administratis sanctis. Desideramus autem unumquemque vestrum idem ostendere studium ad confirmationem spei ad finem usque ne segnes sitis, imitatores autem eorum, qui per fidem et patientiam promissiones hæreditate accipient. Abrahamo enim Deus promittens, quoniam per quem juraret majorem haberet neminem, per se juravit: certe benedicens benedicam tibi et multiplicans multiplicabo[.] et ita cum patienter spectasset particeps factus est promissionis Homines enim per majorem jurant et est illis omnis contradictionis finis ad confirmationem jusjurandum. Ideo cum deus vellet uberius ostendere hæredibus promissionis immutabilem voluntatem suam, jusjurandum interposuit, (jurejurando sponndit) ut per duas res immutabiles, in quibus impossibile est deum mentiri, habeamus firmam consolationem, qui aufugimus ad amplectendam spem nobis propositam, quam ut ancoram animæ habemus tutam et firmam, et quæ introit in interiorem pallam tabernaculi, quo præcursor super [nos] introiit Jesus, secundum ordinem M. pontifex factus in æternum.

## Cap VII

Nam ille Melchisedecus, rex Salemi, sacerdos dei excelsi – qui obviam ivit Abrahamo redeunti ex labore regum et benedixit illi, cui etiam Abr: decimam partem omnium distribuit, primum quidem ex interpretatione dicitur: rex justitiæ, deinde rex Salemi h: e: rex pacis. 3) sine patre sine matre, sine generatione, neque initium dierum neque vitæ finem habens, similis factus filio dei; manet sacerdos in æternum. Videte qualis sit ille, cui etiam decimam dedit Ab. patriarcha ex manubiis. Et qui ex filiis Levi sacerdotium accip[i]unt, habent præceptum a populo decimas sumere secundum legem h: e: a fratribus suis, quamvis exierint illi ex lumbo Davidis; qui vero non natus fuit ab illis (non ab illis originem duxit) decimas cepit ab Ab.; et benedixit [ei] qui habuit promissiones. Sine vero omni controversia inferiori a superiore benedicitur. Et tibi quidem decimas capiunt homines mortales, ibi autem, de quo testatum est, eum vivere. Et si ita dicere licet per Abraham et Levi, qui decimas capit, decimatus est ipse, jam enim erat in lumbis patris, cum Melch. ei obviam factus est Si igitur perfectio per leviticum sacerdotium (populus enim sub illo legem accepit) Quid opus est secundum ordinem Melchisedeci alium excitari sacerdotem nec secundum ordinem Aronis dici? (cum enim transferretur sacerdotium necesse est etiam, ut fiat translatio legis). de quo enim hæc dicuntur, ad aliam tribum pertinuit, ex qua nemo occupabatur in sacris faciendis. Apertum enim est, ex Juda dominum nostrum ortum esse, ad quam tribum Moses nihil de sacerdotio locutus est. Et amplius etiam apertum est, si secundum similitudinem M. excitatur sacerdos alius, qui non factus est secundum legem præcepti carnalis sed secundum vim vitæ quæ exstingui nequit.



Testatur enim: Tu eris sacerdos in æternum secundum ordinem M:. Abrogatio enim fit præcedentis præcepti, ob infirmitatem et inutilitatem ejus (nil enim perfecit lex) introductio vero melioris spei, per quam appropinquamus deo. Et non sine jurejurando (qui enim sunt sine jurejurando sunt sacerdotes qui antea fuerunt, ille vero cum jurejurando, propterea quod dixit illi: juravit d., neque eum poenitebit (neque mutabit sententiam suam) tu sacerdos eris in æternum secundum ordinem M:; tanto præstantioris foederis sponsor factus J. Et illi quidem plures facti fuerunt sacerdotes, morte vero prohibiti, quo minus permanerent. Ille vero, propterea quod manet in æternum, habet immutabile sacerdotium; unde etiam prorsus servare potest illos, qui per illum ad deum accedunt, semper vivens ad intercedendum pro illis. Talis enim nos decebat pontifex, sanctus, innocens, impollutus abalienatus a peccatoribus, et excelsior factus coelis. Qui non opus habet quotidie, ut pontifices, primum super propria peccata victimas proferre, deinde super p. populi, hoc enim semel fecit, quum proferret sese ipsum. Lex enim homines constituit pontifices, infirmitate laborantes, verbum vero jurisjurandi post legem, filium in æternum perfectum.

#### Cap. VIII.

Sum[m]a vero dictorum, talem habemus pontificem, qui consedit ad [dextram] throni majestatis in coelis, sanctorum minister et tabernaculi veri, quo[d] deus non homo fixit. Omnis enim pontifex ad dona proferenda constituitur, unde necessarium est eum habere, quod proferat. Si enim esset in terra, non esset pontifex, cum essent sacerdotes, qui secundum legem dona proferrent, qui exemplum et umbram colunt coelestium, ut vaticinio institutus [est] M. perfecturus tabernaculum »Vide, inquit, facias omnia secundum [exemplum] tibi in monte ostensum, nunc vero adeptus est præstantius ministerium, quanto etiam præstantioris foederis est mediator, quod sancitum est melioribus promissionibus. Si enim prius illud fuisset inculpatum non locus quæreretur alteri. Reprehendens enim illis dicit: Ecce dies venient, inquit D. et perficiam super domum Israelis et super domum Judæ novum foedus, non secundum foedus, quod feci cum patribus eorum illo die, quo manus eorum comprehendens, ad educendos illos ex Ægypto, quod illi non manserunt in foedere meo et ego neglexi eos inquit d. Nam ipsum illud foedus, quod pangam cum domo I. post illos dies, inquit d, ponam leges meas in cogitatione eorum, et in cordibus inscribam illas. Atque ero illis deus, et illi erunt mihi in populum. Neque doceat quisque civem suum, et quisque fratrem suum dicens: cognosce dominum, nam scient omnes me a minimo usque ad maximum. Nam misericors ero injustitiis eorum et peccatorum eorum et iniquitatum non amplius recordabor Ubi vero dicit novum, antiquavit prius, antiquatum vero et inveteratum, est prope, ut evanescat

Cap. IX

Habebat quidem prius (sc: foedus) praecepta cultus, et sanctum terrestre. Tabernaculum enim primum compositum erat, in quo candelabra, et mensa et propositio panum, – quod dicitur sanctum. Deinde vero secundum tabernaculum, quod dicitur sanctum sanctorum habens aureum altare suffimenti et arcam foederis undique auro obvolutam, in qua urceus aureus contine[n]s manna et virga A. virescens, et plances tabulæ foederis, super illam vero Cherubim gloriæ, obumbrantes propitiatorium, de quibus singulis non nunc est dicere. Quibus ita comparatis, in tabernaculum prius semper introeunt pontifices, perficientes cultus, in posterum semel quotannis pontifex, non sine sanguine, quem profert pro suis et populi delictis, hoc indicante sp. sancto, nondum apertam esse viam sanctorum, cum adhuc prius tabernaculum consistat, quod erat similitudo in tempus nunc instans, quo oblationes et victimæ proferuntur, quæ non possunt quoad conscientiam perficere cultorem solum in cibis et potibus et variis baptismatibus, praecepta carnis, in tempus correctionis imposita. Chr: vero cum pervenisset, pontifex futurorum bonorum, per majus et perfectius tabernaculum manibus non factum (i: e: non hujus creationis) neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per sanguinem suum proprium introivit semel in sancta, inveniens redemptionem æternam. Si enim sanguis taurorum et hircorum et cinis vitulæ adpersa super pollutos purificat ad puritatem carnis, quanto magis sanguis Chr:, qui per sp. æt. sese ipsum immaculatum protulit deo, lustrabit conscientiam nostra[m] ab mortuis factis ad serviendum deo viventi., et ideo foederis novi factus est mediator, ut, morte intercedente in redemptionem transgressionum in foedere p[er]iori, promissionem accipiant, vocati, hæreditatis æternæ Testamentum enim in mortuis ratum est, quoniam minime valet, quamdiu vivit testator. Quare etiam prius non sine sanguine consecratum est. Nam cum omnia praecepta prælecta essent secundum legem a Mose toti populo, cepit sanguinem hircorum et vitulorum, cum aqua et lana coccinea et hysopo et ipsum librum et totum populum adpersit, dicens: Hic est sanguis foederis, quod vobis præcepit mandavit deus[.] et tabernaculum et omnia instrumenta ministerii sanguine simul aspersit, et fere sanguine omnia purgantur secundum legem, et sine effusione sanguinis non fit remissio. Necesse igitur erat, ut exempla eorum, quæ sunt in coelis, illis purgari, ipsa vero coelestia melioribus victimis præ illis. Neque enim in manu facta sancta introit X:, ad exemplar formata verorum, sed in ipsum coelum, ut nunc appareat faciei domini, neque ut se ipsum sæpius proferat, ut pontifex introit in sancta quotannis sanguine alieno (quoniam oportet illum sepe pati inde ab creatione mundi) nunc vero semel in consummatione temporum, ad peccatum destruendum per victimam suam apparuit. Et quatenus manet hominibus semel mori, et deinde iudicium. Ita etiam Chr: semel oblatus ad multorum

perferenda peccata, iterum sine peccato apparebit illis, qui eum exspectant in salutem.

### Cap. X

Lex enim umbram habens futurorum bonorum non ipsam imaginem rerum, non potest victimis quas quotannis continenter [(contin]ue[, ] semper) proferunt perficere accedentes. Alioqui annon cessassent proferre, quoniam cultores conscientiam nullam amplius peccatorum haberent, semel purgati? sed in illis fit recordatio peccatorum quotannis. Impossibile enim est ut sanguis taurorum et hircorum tollat peccata. Quare mundum intrans, dicit »Victimam et oblationem noluisti, corpus vero mihi parasti; holocausta pro peccatis non probasti. Tum dixi: Ecce venio (in capite libri scriptum est de me) ut faciam, deus, voluntatem tuam. Antea dicens: Victimam et oblationem et holocausta super pro peccatis noluisti, neque probasti (quæ secundum legem proferuntur) tum dixit: Ecce venio, ut faciam deus voluntatem tuam.« Tollit prius ut secundum constituat. In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis J: Chr. semel factam. Et quisque sacerdos stabat quotidie administrans, et easdem sæpe proferens victimas, quæ omnino non possunt tollere peccata[, ] ille vero unam pro peccatis nostris proferens victimam in æternum, consedit ad dextram dei, ceterum exspectans, donec ponantur inimici ejus scabellum pedum suorum. Una enim oblatione perfecit in æternum sanctificandos. Attestatur etiam nobis sp. s. Cum enim hæc antea dicta essent: ipsum foedus, quod pangam cum illis post dies illos, dicit dominus: dabo leges meas in cordibus eorum, et in cogitationibus inscribam illas, et peccatorum eorum et injustit[i]æ neamplius recorder«. Ubi vero horum remissio, non amplius est oblatio pro peccatis -

Cum igitur habeamus, fratres, libertatem introeundi in sancta in sanguine J., qui initiavit nobis viam recentem et vivam per velum (i: e: per carnem ejus) et sacerdotem magnum super domum dei. Accedamus igitur cum vero corde in certitudine fidei, lustratis cordibus a mala conscientia, et abluto corpore aqua pura amplectamur confessionem fidei firmam inflexibilem (fidelis enim est promissor) et observemus nos invicem ad amorem incitandum et bona opera, non relinquentes coetum mutuam ut mos nonnullorum, sed cohortantes, et tanto magis, quod videtis instantem diem. Voluntarie enim nobis peccantibus postquam accepimus cognitionem veritatis, non relinquitur pro peccatis victima. Sed terribilis exspectatio judicii et ignis ardor, qui comessturus est adversarios. Si quis neglexerit legem M. sine misericordia duobus vel tribus testibus moritur, Quanto, putatis, graviore poena dignus habebitur ille, qui filium dei conculcaverit et sanguinem foederis communem habuit, in quo sanctificatus est, et sp. gratiæ superbe tractavit. Novimus enim, qui dicit: mihi ultio, ego retribuam« et

rursus: dominus judicabit populum suum. Horribile est incidere in manus dei viventis. Recordamini dies antecedentes, in quibus illuminati magnum certamen afflictionum passi estis, partim op[ro]briis et afflictionibus (contumeliis et vexationibus) expositi, partim consortes facti eorum, qui ita vivunt. Et vinculis meis compassi estis et rapinam bonorum vestrorum sustinuistis, intelligentes, vos habere meliores opes in coelo manentes, ne rejiciatis igitur fiduciam vestram, quæ habet magnam mercedem. Patientia enim vobis opus est, ut voluntatem dei facientes, accipiatis promissionem. Adhuc enim parum parum, qui venturus est veniet neque cessabit. justus vero ex fide vivet, et si quis sese subduxerit, non oblectabitur anima mea in illo. Nos vero non sumus subtractionis in interitum, sed fidei ad animam servandam.

### Cap XI

Est autem fides substantia sperandarum, demonstratio rerum, quæ non videntur. In illa enim comprobati sunt seniores. Fide intelligimus saecula parata esse verbo dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent. Fide meliorem victimam præ Caino Abelus deo protulit, qua testimonium justitiæ accepit, attestante deo donis ejus, et per ipsam mortuus adhuc loquitur. Fide Enochus transpositus est, ita, ut mortem non videret, neque inventus est, propterea quod deus eum translocavit. Ante enim translocationem testimonium editum erat, eum placuisse deo. sine vero fide impossibile est placere. Oportet enim, qui ad deum accedit credere eum esse et eundem remuneratorem illis, qui eum quærunt. Fide institutus Noe de iis, quæ nondum apparuerunt, veritus apparavit arcam in salutem domus suæ, per quam condemnavit mundum, et hæres factus est justitiæ secundum fidem. Fide vocatus Abr: obedivit ut exiret in locum, quem accepturus erat in hæreditatem, et exivit, non intelligens, quo iret. Fide peregrinatus est in terram promissionis ut alienam, in tentoriis habitans, cum I. [et] J. cohæredibus promissionis ejusdem. Accepit enim urbem fundamenta habentem, cujus opifex deus et artifex. Fide et ipsa S. vim ad concipiendum (al: facultatem prolis faciendæ) [accepit] et præter tempus ætatis (pæperit) quoniam fidelem habuit qui promiserat. Quare etiam ex uno et quidem effeto nati sunt ut sidera coeli multitudine, ut arena, quæ est ad litus maris – innumerabilis. Secundum fidem mortui sunt illi omnes, non accipientes promissiones, sed e longinquo videntes illas et salutantes et profitentes, sese in terra esse hospites et peregrinos. Talia enim docentes ostendunt, sese patriam quærere., et si illam cogitarent, e qua exierunt, habebant tempus redeundi Nunc vero meliorem expetunt, i: e: coelestem. Quare non eorum puduit deum, neque vocari deum eorum. Paravit enim illis urbem. Fide Abrah: protulit I. tentatus, etiam unigenitum proferre, qui promissiones acceperat, ad quem dictum est: In Isaco vocabitur tibi semen ratiocinans reputans, etiam ex mortuis deum enim posse resuscitare; unde etiam in discrimine recuperavit. Fide de futuris benedixit I. J. et E. Fide J.

moriens unicuique filiorum J. benedixit; et adoravit ad ultimam partem virgæ suæ. Fide J. moriens de exitu Is. cogitavit et de ossibus suis præcepit. Fide M. natus tres menses occultabatur a parentibus, quia videbant puerum urbanum, neque metuebant jussum regis. Fide Moses magnus factus abnegavit, quo minus diceretur filius filiæ P., potius eligens, mala pati una cum populo dei, quam ad breve tempus durans oblectamentum carnis. Majores divitias Ægyptorum thesauris habens ignominiam Chr: Respexit enim repensionem mercedis. Fide reliquit Æ., non metuens iram regis, invisibilem enim ut videns sustinuit. Fide instituit festum pa[s]chale et profusionem sanguinis, ne trucidator primogenitorum tangeret illos. Fide transierunt mare rubrum ut per aridam. Cujus rei periculum facientes [Ægyptii] absorpti sunt. Fide conciderunt muri J.; circumdata per septem dies. Fide R. adultera non una interiit cum immorigeris, accipiens speculatores in pace. Et quid a[d] huc dico? Tempus deficiet me disserentem de G., B. S. J. D. et S. et prophetis qui fide debellaverunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt promissiones, obturarunt ora leonum, exstinxerunt vim ignis, auffugerunt ora gladii, corroborati sunt ex infirmitate, firmi facti sunt in bello, in fugam conjecerunt aciem alienorum. Receperunt mulieres ex resurrectione mortuos suos, alii tympano adhibito mortui sunt, non accipientes redemptionem, ut meliorem resurre[c]tionem adipiscerentur. Alii experti sunt ludibria flagella, etiam vincula et carceres, lapidibus obruti sunt, dissecati sunt, tentati sunt, occisione gladii mortui sunt, oberrabant in melotis, in pellibus hircinis, destituti, afflicti, mala perferentes (quibus mundus non dignus erat) in desertis vagantes et in montibus, et in speluncis et cavernis terræ. Et illi omnes testimonium consecuti per sp. s. non adepti sunt promissiones, deo melius quid super nos prospiciente, ne sine nobis perficerentur.

## Cap. XII.

Cum igitur habeamus tantam nobis circumjacentem nubem martyrum, omni mole objecta et peccato circumstante, per patientiam curramus in propositum nobis certamen; respicientes fidei nostræ principem et perfectorem J. X., qui pro proposita ei lætitia, sustinuit crucem, despiciens ignominiam, ad dextram vero dei consedit. Ac reputate qui sit ille, qui talem a peccatoribus adversus se contradictionem passus est, ut ne fatigemini animis vestris, soluti

Nondum ad sanguinem usque resistitis adversus peccatum pugnantes, et obliti estis consolationis, quæ vobis ut filiis alloquitur: Fili mi ne despicias disciplinam dei, neve animum despondeas ab illo reprehensus, quem enim dominus amat, castigat, flagellat omnem filium, quem suscipit. Si disciplinam perfertis ut filiis vobis deus offertur, quis enim est filius, quem non castigavit pater? Si vero estis sine disciplina, cujus omnes participes sunt, spurii estis non filii. Si igitur patres nostros secundum carnem habuimus magistros

castigatores, et reveriti sumus, non multo magis nos subjiemus patri spirituum et vivemus. Illi enim ad breve temporis spatium, prouti placet illis, castigant, ille vero in utilitatem nostram, ut adipiscamur sanctitatem ejus. Omnis vero disciplina ad præsens non videtur esse lætitiæ sed tristitiæ, postea vero fructum pacificum justitiæ dat per illam exercitatis. Quare relaxatas manus et soluta genua erigite, et vias rectas facite pedibus vestris, ut ne claudum magis detorqueatur sed sanetur potius. in Pacem cum omnibus incumbite et sanctitatem, sine qua nemo deum est visurus. spectantes ne quis deficiat a gratia dei, ne qua radix amaritudinis sursum [se] producens perturbet, et illa multi polluantur. ne quis scortator aut profanus ut E., qui pro uno edulio vendidit primogenituram suam. Scitote enim, eum postea voluisse hæreditate accipere benedictionem[,] repudiatum autem est, resipiscentiæ enim locum non invenit, quamvis la[c]rymis quæsivit ill[am]. Non enim accessistis ad montem a deo palpatum et ignem incensum, caliginem et tenebras et procellam, et sonum tubæ, et sonitum verborum, quæ qui audiebant deprecabantur, ne adderetur verbum illis (neque enim portaverunt mandatum: si bestia attigerit montem lapidibus obruetur. et tam horribile erat visum M. dixit., terrore percussus sum et tremefactus, sed accessistis ad montem Sionem, et urbem dei viventis, Hierosolymam coelestem, et myriad[as], et angelorum coetum, et ecc. primogenitorum, qui conscripti sunt in coelis, ad ju[di]cem deum omnium, et sp. justorum mortuorum, et mediatorem novi foederis J. et sanguinem aspersum, melius loquentem præ Abelis, Videte ne deprecemini loquentem Si enim illi non effugerunt, qui deprecati in terra vaticinantem, quanto magis nos repudiantes illum de coelo. Cujus vox terram commovit olim, nunc vero annuntiavit dicens: Adhuc semel et commovebo non terram sed etiam coelum. Hoc vero[,] semel, signifi[cat] transpositionem mutatorum, ut fac[torum], ut m[aneant] quæ commoveri nequeunt. Quare regnum quod commoveri nequit, accipientes habeamus gratiam, per quam placeamus illi cum verecundia et m[etu].

### Cap. XIII

Amor fraternus maneat. Hospitalitatis ne obliviscamini, ob illam enim nonnulli inscii angelos hospitio acceperunt. Recordamini vinctos ut una vincti, mala perferentes, ut qui et ipsi in corpore estis. honestum sit matrimonium in omnibus et torus impollutus, adulteros et scortatores judicabit deus. Ne avara sit vivendi ratio, contenti præsentibus iis (quæ adsunt); ipse enim dixit: non te deseram neque te derelinquam, ita ut vos bono animo dicere possitis: Dominus est mihi auxilium, non metuum, quid mecum facturum est homo. Cogitate præfectos vestros qui vobis nuntiarunt verbum dei, quorum exitum vitæ intuentes, immitamini fidem. J. X. heri et hodie idem et in æternum. Variis doctrinis et peregrinis ne circumducamini, bonum enim est cor gratia

